THEOLOGIA
CHRISTIANA THEORETICA

AUCTORE

BENEDICTO STATTLER,

SS. THEOL. DOCT. PROF. ORD. AC PROCANCELLARIO IN UNIVERSITATE ANGLIPOLITANA, NEC NON PAROCHO PRAESIDII MILIT. ET RECTORE ECCLESIAE PAROCH. D. MAURITII, SERENISS. ELECT. PALAL. ET REV. S. R. I. PRINC. ET EPISC. EUSTETT. CONSIL. ECCLES. ACT. ELECT. BOICAE ACAD. MONAC. SOCIO.

TRACTATUS IV.

DE

GRATIA DEI.

Cum Privil. Sacr. Caesar. Majest.

Eustadii et Günzburgii

SUMTIBUS JOANNIS BAPTISTAE WIDENMANN

et Soc. Bibliop. 1781.

Digitized by Google

Digitized by Google

Wir JOSEPH der Andere von GOTTES Gnaden erwehlter römischer Kayser, zu allen Zeiten Mehrer des Reichs, in Germanien, und zu Jerusalem König, Mitregent und Erbthronfolger der Königreiche Hungarn, Böheim, Dalmatien, Croatien und Slavonien, Erzherzog zu Oesterreich, Herzog zu Burgund und zu Lothringen, Großherzog zu Toscana, Großfürst zu Siebenbürgen, Herzog zu Mayland, Bar 2c. gefürsteter Graf zu Habsburg, Flandern, und Tyrol 2c. 2c. 2c. bekennen öffentlich mit diesem Brief, und thun kund allermänniglich, daß Uns Johann Baptist Widenmann, und Joseph Berlout, Buchhändlere in Eichstett und Günzburg, in Unterthänigkeit zu vernehmen gegeben haben, was gestalten sie Willens seyen, ein Werk in 8vo, bestehend in sechs Tractaten, unter dem Titul: Stattleri Theologia Christiana theoretica, zum öffentlichen Druck zu befördern, hierbey aber von gewinnsichtigen Leuten einen ihnen schädlichen Nachdruck befürchteten, zu dessen Verhinderung sie Uns allergehorsamst bäthen, Wir gnädigst geruhen möchten, Unser Kayserliches Druck-Privilegium auf sothanes Buch mildest zu ertheilen. Wann Wir nun gnädiglich angesehen, jetzt angedeutete ziemliche Bitte, anbey auch betrachtet, daß dieses Werk mit der behörigen Censur versehen ist, als haben Wir bemeldten Supplicanten die Gnade gethan, und Freyheit gegeben, thun auch solches in Kraft dieses Briefes, also, und dergestalt, daß sie vorgedachtes Werk, mit jedesmaliger Censur, in offenen Druck ausgehen, hin- und wieder ausgeben, feil haben, und verkaufen, auch ihnen solches niemand, weder in grossen noch kleinen Formate, ohne ihren Consens und Wissen, innerhalb zehen Jahren, von dato dieses Briefes an zu rechnen, im heiligen Römischen Reich nachdrucken, und verkaufen lassen soll. Und gebiethen darauf allen und jeden Unseren und des Reichs Unterthanen und Getreuen, insonderheit aber allen Buchdruckern, Buchführern und Verkäufern, bey Vermeidung fünf

Mark

Mark löthigen Goldes, die ein jeder, so oft er freventlich hierwider thäte, Uns halb in Unsere Kayserliche Kammer, und den andern halben Theil mehrbemeldten Supplicanten, oder deren Erben unnachläßig zu bezahlen verfallen seyn solle, hiemit ernstlich, und wollen, daß ihr, noch einiger aus euch selbst, oder jemand von eurentwegen, obangezogenes Werk innerhalb den bestimmten zehen Jahren nicht nachdrucket, noch auch also nachgedruckter distrahiret, feil habet, umtraget oder verkaufet, noch das andern zu thun gestattet, in keine Weiß noch Weege, alles bey Vermeidung Unserer Kayserlicher Ungnade, obbestimmter Poen, und Verliehrung desselben euren Druckes, den vielgemeldte Widenmann und Berlout, oder ihre Erben, und Befehlshaber, mit Hülfe und Zuthun eines jeden Ortes Obrigkeit, wo sie dergleichen bey einem jeden finden werden, alsogleich aus eigener Gewalt, ohne Verhinderung männiglichs, zu sich nehmen, und damit nach ihrem Gefallen handlen, und thun mögen. Jedoch sollen sie Supplicanten, von diesem ganzen Werk die gewöhnlichen fünf Exemplaria zu Unseren Kayserlichen Reichs-Hof-Rath abzuliefern, und dieses unser Kayserliches Privilegium, andern zur Nachricht demselben vordrucken zu lassen, *schuldig und gehalten seyn.* Mit Urkund dieses *Briefes besiegelt mit* Unserem aufgedruckten Kayserlichen Insiegel, der gegeben ist zu Eger den vierten Weinmonates im Jahre siebenzehen hundert neun und siebenzig, Unsers Reichs im sechzehenden.

Joseph Mppr.

Vt. R. Fürst Colloredo.

(L. S.)

Ad Mandatum Sac. Cæs. Majestatis proprium.

Ign. Hofmann. Mppr.

LICENTIA

Reverendissimi Ordinariatus Eustadiani.

Cum plurimum Reverendi DD. Deputati Librorum Censores Tractatum IV. Theologiæ Christianæ Theoreticæ de GRATIA DEI a P. R. Domino Benedicto Stattler SS. Theologiæ Doctore, ejusdemque in Universitate Ingolstadiana Professore Ordinario, ac Procancellario conscriptum attente perlegerint, & ad Theologiæ Leges diligenter examinaverint, nihilque in eo Catholicæ Fidei, aut bonis moribus adversum deprehenderint, Autoritate Ordinaria facultatem facimus, ut Tractatus prædictus typis mandari valeat.

Eustadii Die 14. *Aprilis.*
1776.

JOAN. MARTINUS LEHENBAUR, Vicar. in Spirit. Generalis.
Mppria.

Digitized by Google

CONSPECTUS
OPERIS.

TRACTA-

TRACTATUS IV.

DE

GRATIA DEI.

CAPUT I.

DE GENUINO CONCEPTU GRATIÆ, EJUSQUE DIVISIONE.

243.

Gratia in genere eſt vera benevolentia per ſe efficax unius perſonæ erga alteram, nullo ejus merito, ſeu ratione morali, ſaltem ſufficiente, ſe tenente ex parte iſtius. Quodſi ne quidem inſufficiens aliqua ratio moralis, ſeu meriti, relate ad talem ac tantam benevolentiam in altera perſona inſit, *mera gratia* appellatur: *non mera gratia* econtra dicitur, ſi ejus ratio moralis, quidem aliqua, ſed relate ad gratiæ magnitudinem inſufficiens ſuppetat. Porro tam ipſa *benevolentia*, quam ejus *effectus*, eodem ſenſu *gratuita*, *mere gratuita*, *non mere gratuita*, vocatur. Ex his patet, quid *Gratiæ DEI* nomine intelligamus. Itaque *ad Gratiam DEI tria eſſentialia conveniunt*, 1.) *verum bonum creaturæ rationali efficaciter*, *quantum per DEUM ſtat*, *volitum*, 2.) *benevolentia*

erga eandem in affectu imperante volitionem efficacem ejus boni, 3.) *ut tamen ejus benevolentiæ motivum, seu ulterior affectus imperans, non sit amor complacentiæ ex bono morali, seu merito, istius*, sed mere ex aptitudine physica ad tale bonum recipiendum, ita, ut reliquam veluti rationem movendi suppleat ipsa promtitudo ad benefaciendum.

* Notio ista *Gratiæ* a SS. Scripturis ipsismet nobis ingeritur ad Rom. XI. 6. *Si Gratia; jam non ex operibus: alioquin gratia non est.* Ad Eph. II. 8. *Gratia salvati estis per fidem: & hoc non ex vobis: DEI enim donum est.* Rom. IX. 18. *Cujus vult, miseretur.* Hanc *genericam Gratiæ notionem* sine scrupulo adoptavit S. AUGUSTINUS in Epist. XCV. ad Innocentium I. scribens: *Quadam non improbanda ratione dicitur Gratia DEI, qua creati sumus, ut non nihil essemus:* --- QUIA NON PRAECEDENTIUM ALIQUORUM OPERUM MERITIS DEI BONITATE DONATA EST: etsi præter hanc naturalem aliam supernaturalem DEI Gratiam a Pelagio admittendam esse contenderet.

244.

I. *Gratiæ non opponitur necessitas hypothetica, in persona eam exhibente ad eam conferendam aliunde exorta, quam ex merito morali eam recipientis; modo ex vera benevolentia erga istam exhibeatur.* Sic DEUS secundum omnes vi divinarum perfectionum suarum necessitate hypothetica urgetur, ut, si creaturas rationales creare velit, ea mediis saltem naturalibus sufficientibus ad consequendum creationis finem instruat; & tamen secundum omnes media ista veram Gratiæ rationem integre participant. Sic parentes a DEO obligantur liberis suis educationis bonæ beneficium cum sincera benevolentia exhibere: & quis neget, eandem

dem educationem actu vera efficaci benevolentia exhibitam a parentibus, relate ad liberos veram Gratiæ rationem habere?

II. *Ad rationem Gratiæ non requiritur, ut exhibeatur positive indignis; sed sufficit, quod positivi meriti moralis dignitas absit in eo, cui exhibetur: etsi major quædam gratia sit, positive male merentibus adhuc bene velle, quantum sapientia & justitia permittit.* Postremum enim hoc firmitatem, puritatem, & sufficientissimam sibimet perfectionem benevolæ mentis & affectionis importat, ac proinde gradum quemdam Gratiæ altiorem: ex quo tamen ratio Gratiæ absolute talis non tollitur, si absit: adhuc enim a *debito* differt; de quo mox dicetur.

III. *Gratiæ conceptui obest omnis necessitas eam conferendi, quæ oritur ex ratione sufficiente morali, se tenente ex parte personæ, cui gratia ista exhibetur.*

IV. *Cum ratione veræ Gratiæ pugnat omnis debiti species; sive stricte talis*: quale est, quo una creatura rationalis alteri obligatione perfecta obstringitur, ita, ut ad id reddendum jure ab ista cogi possit; quod quidem in DEUM nullo pacto cadere potest: *sive minus stricte talis*; quale est necessitas, quæ etiam in DEUM cadit, ut ex. gr. creaturæ rationali bene merenti congruam præmii mercedem largiatur; orta videlicet absolute non ex solis perfectionibus divinis, aut ex aliqua actione solius DEI, ceu ex hypothesi DEO soli libera; sed ex opere aliquo meritorio, vel dignitate aliunde existente, ipsius creaturæ rationalis. *Si Gratia; jam non ex operibus*, inquit Apostolus: ergo vicissim, *si ex operibus, jam non est gratia.*

245.

Gratia DEI vel est naturalis, vel supernaturalis. Naturalis est, quæ vel naturam ipsam ceu principium actionum ejus constituit, vel in naturæ universæ, quoad hæc a DEO auctore primitus ordinata est, & continuo immediato concursu regitur, rationem existentiæ physicam sufficientem habet. Tales gratiæ sunt ingenii acumen, indoles bona, sensuum vigor, corporis valetudo bona & robur, affluentia opum &c.: quippe quæ omnia ceu vera bona a DEO ut naturæ auctore nobis obveniunt sincera ex benevolentia, ut media nobis sint finis ultimi, æternæque beatitatis. *Supernaturalis Gratia* ea est, quæ nec ad naturalia nostra pertinet in ratione principii, nec in eisdem physicam rationem existentiæ sufficientem ceu eorum effectus habet. Porro rursus alia est *Gratia supernaturalis quoad modum* solummodo; quæ videlicet in præsens rationem existentiæ in universa natura non habet; etsi in aliis adjunctis eadem per se habere posset; ut si morbus, per pharmaca naturalia pedetentim per se curabilis, in præsens momento DEI unius virtute curetur; curatio ista erit supernaturalis quoad modum: alia est *supernaturalis quoad substantiam*; quæ in nullis rerum adjunctis solius naturæ effectus esse, aut in ea rationem sufficientem existentiæ habere potest; uti ex. gr. resuscitatio mortui. *Gratia theologicè talis*, id est, de qua Theologi christiani præcipue tractant, & disputant, est omnis Gratia supernaturalis, cujus finis proprius per se vi naturæ ac virtutis suæ est promovere creaturam rationalem ad beatitatem æternam supernaturalem, ceu finem creationis ultimum.

246.

Subdividitur Gratia (tum *naturalis*, tum) præcipue *supernaturalis theologice talis*, *in externam*; quæ nimirum exiſtentiam propriam extra perſonam hominis habet; qualis eſt (tum natura reliqua univerſa, tum præcipue) DEI Incarnatio, Chriſti exemplum, doctrina, & lex, Evangelii prædicatio, miracula in ejus confirmationem patrata &c.; *& internam*, quæ eſt benevolentiæ divinæ effectus vel in ipſa ſubſtantia creaturæ rationalis inſtar modificationis receptus, vel per quem DEUS benevolus eidem intime præſens eſt in ordine ad actiones omnes morales fini ultimo æternæ beatitatis convenienter exercendas, & hanc ipſam beatitatem ſupernaturalem ei aſſecurandam. *Interna ſupernaturalis Gratia theologice talis alia eſt actualis, alia habitualis.* *Actualis* eſt id genus effectus internus & concurſus DEI ſupernaturalis tranſiens (non perdurans) nec per ſe niſi ad unam actionem moralem prædictam creaturæ rationalis promovendam tendens, aut ad moraliter malam impediendam directus. Talis eſt quævis ſingularis illuſtratio intellectus, & motio voluntatis ſupernaturalis, qua DEUS & interne verum bonum & malum ab apparente diſcernere docet, & ejus ratione inſtar motivi clare propoſita, illud appetere, hoc averſari, interne ſuadet. *Habitualis Gratia* eſt ſtatus perdurans creaturæ rationalis, qua hæc perdurante ac ſtabili intima ſupernaturali præſentia DEI ſumme benevoli (de DEO §. 129. 130.) fit ſtabiliter, & habituali facultate complete expedita in ratione medii ad finem ſupernaturalis beatitatis, ac proinde ad omnes actiones ſuas morales huic fini ultimo morali cum facultate conformandas, atque eo ipſo a DEO inſtar filii ama-

A 5 tur,

tur, & æternæ vitæ hæres, si in eo statu ad finem usque perseveret, decernitur.

247.

Subdividitur ulterius Gratia theologice supernaturalis interna & externa in Gratiam DEI, & Gratiam Christi. *Gratia DEI* dicitur, quæ a DEO confertur absque respectu ad merita JESU Christi DEI Hominis; qualis secundum verisimiliorem Theologorum sententiam fuit ea, quæ Angelis in statu viæ ad beatitatem positis, & quæ Adamo & Evæ adhuc innocentibus collata est. *Gratia Christi* vocatur, quam DEUS largitur ob merita JESU Christi. Vulgo Gratia DEI etiam appellatur *Gratia sanitatis*; quia Angelis & primis hominibus nullo peccati habitualis morbo infectis data est. Contra Gratia Christi vocatur *Gratia medicinalis*; quia primis parentibus eorumque posteris jam originalis peccati morbo corruptis in hujus remedium, vel certe B. V. Mariæ DEI Matri in præservationem ab eodem morbo, collata est, & conferri solet.

248.

Gratiæ denique aliæ sunt, quæ ipsam personam, cui conferuntur, ad finem creationis suæ promovent, atque in ordine ad illum in ratione medii magis semper perficiunt; & hæ *Gratiæ gratum facientes* vocantur; quia talem personam DEO gratiorem amabilioremque per se efficere aptæ sunt: *aliæ gratis datæ* appellantur, quæ per se & ex principe aptitudine sua idoneæ sunt, & a DEO conferente diriguntur ad promovendam moralem perfectionem & salutem æternam non ejus personæ, cui immediate donantur, sed alio-

rum;

rum; eoquod nimirum illarum particeps immediate idoneus certo modo evadat ad alios convertendos in meliores secundum statum moralem: licet eisdem uti ad proprium quoque profectum absolute possit.

* *Primum* de actuali, *deinde* de habituali Gratia, *tertio loco* de gratis datis Gratiis, iisdemque singulis *theologico sensu* consideratis, agemus, tam quoad *DEUM* solum, quam quoad *Christum* DEUM Hominem auctorem habent. Ceterum notiones has omnes hucusque propositas interim non nisi pro nominalibus definitionibus haberi volumus: donec earum realitatem in ipso hujus tractationis decursu demonstraverimus.

* * Erravit porro præcipue in Gratiæ tam naturalis quam supernaturalis conceptu *Michael Bajus*, sive *de Bay*, natus Melini in territorio Athensi apud Belgas, postea Doctor Lovaniensis, SS. Literarum Professor, ejusdemque Universitatis Cancellarius. Erravit, inquam, docendo *inprimis*, Prop. 9., *secundum usum S. Scripturæ nomine Gratiæ ea tantum munera intelligi, quæ per JESUM Christum male merentibus & indignis conferuntur.* Erravit *secundo*, docendo in Prop. XXI.: *humanæ naturæ sublimationem in consortium divinæ naturæ debitam fuisse integritati primæ conditionis, & proinde naturalem dicendam fuisse, non supernaturalem; fuisse* denique *naturalem conditionem* (Prop. XXVI.) *sicuti ipsam immortalitatem* (Prop. LXXVIII.) Erravit *tertio*, inferendo ex his erroribus, *DEUM non potuisse ab initio creare talem hominem, qualis nunc nascitur* (Prop. XXV.), id est, subjectum concupiscentiæ, morbis, malis aliis physicis, & morti: sed debuisse primo homini integritatem originalis justitiæ (Prop. XXI. cit.): denique *omnes omnino afflictiones*

ctiones etiam *juſtorum non eſſe niſi ultiones peccatorum ipſorum*, ac proinde, *quæ Job & Martyres paſſi ſunt, propter ſua peccata paſſos eſſe* (Prop. LXXIII.). *In primo errore* falſum quid aſſeruit, quod ex SS. Literis probare nuſpiam poterat. *In altero errore debitum* DEO affinxit, id eſt, neceſſitatem largiendi omnia dona originalis integritatis, ortam ex dignitate naturæ innocentis, ceu ex ratione morali: cum tamen cauſſa moralis qua talis movere non poſſit niſi ut aliunde exiſtens quam ab eo, quem movet; natura vero aliunde quam a DEO dignitatis ſuæ totius exiſtentiam non habeat (Ont. §. 265.) ſed & ſi *neceſſitatem* ſolum, ortam unice ex divinis perfectionibus, adſtruxiſſet; adhuc erraſſet; ut oſtendi Tract. præced. §. 238. not. 2.: eoquod videlicet, niſi DEUS præviderit, majus commune bonum finale ultimum ex feliciore illo ſtatu conſecuturum, neque infinita benevolentia, nec alia perfectio, talem ei neceſſitatem imponere potuerit: atqui hoc DEUM non prævidiſſe, a poſteriori recte concluditur; quia, ſi prævidiſſet, ne nunc quidem ob *Adæ* peccatum eo felici ſtatu nos ejus poſteros dejeciſſet. Porro novus priori error in eo acceſſit, quod ex neceſſitate unde unde orta, qua DEUS innocenti homini originalem integritatem deberet, intulerit, eam non ſupernaturale donum, ſed mere naturale futurum, cum ratio *naturalis* & *ſupernaturalis* boni non ab eo pendeat, an neceſſitate, an libere conferatur (245.). Sed & errore ex parte conſimili errarunt cum Bajo multi Theologi cetera probe catholici, qui docebant, *Gratias naturales, quibus homo ad finem ultimum neceſſe habet, in ſtatu naturæ puræ, ſi is exiſteret, eſſe naturæ innocenti debitas, aut huic tribuendas eſſe a DEO neceſſitate orta ex ipſius naturæ exigentia.* Profecto *debitum* omne ex parte ejus, cui quid datur, originem & cauſſam ſufficientem habens, cum notione

Gra-

Gratiæ pugnat (244. IV.): tum vero *exigentia naturæ* nihil eſt niſi capacitas ſeu compoſſibilitas ejusdem cum id genus gratiis: denique DEUM nihil neceſſitate urget ad ſubveniendum indigentiæ rationalis creaturæ, quam ipſa propria benevolentia infinita, qua vult beatitatem iſtius. Præterea capacitas naturæ ex æquo ad ſupernaturales ac naturales Gratias datur; ſecus illæ cum natura compoſſibiles non eſſent: ergo ſi ad naturales largiendas illa per ſe DEUM neceſſitate afficere poteſt, etiam poterit ad ſupernaturales; quod Theologorum illorum plures negabant. Ex *tertio errore* Baji, qui conſectarium ſecundi eſt, multi item probe catholici Theologi intulere, *poſſibilem eſſe ſtatum naturæ puræ*; quaſi error propoſitionis xxvtæ Bajanæ in eo conſiſteret, quod is ſtatus iſtius poſſibilitatem negarit. *At enim* conſideranda iſta Bajana propoſitio eſt, prout eſt connexa cum aliis ejusdem propoſitionibus, ceu ſequela earundem. Negabat Bajus, DEUM hominem nullo prævio peccato originali, vel actuali, potuiſſe creare in eo ſtatu tam miſero, præſertim cum concupiſcentia etiam per Gratiam medicinalem ſupernaturalem adjuta, uti nunc fit; item cum morbis, mortalitate &c.: idque ex eo falſo principio, quod homini innocenti tota ſupernaturalis illa primæ integritatis felicitas a DEO debeatur. Jam vero utut hoc falſum ſit, non tamen inde ſequitur, poſſe DEUM creare hominem in ſtatu naturæ puræ, id eſt, cum concupiſcentia ne quidem per Gratiam medicinalem adjuta, nec ordinatum ad finem beatitatis ſupernaturalis: ſed Bajo ſatis contradicitur, ſi aſſeras: potuiſſe DEUM, etſi nullum præceſſiſſet peccatum, ſtatim primitus condere & Adamum & nos in eo ſtatu omnimodo, in quo nunc ab eo condimur. Ex adverſo repugnare ſtatum naturæ puræ divinæ benevolentiæ infinitudini; ſatis ſuperque a me oſtenſum exiſtimo §. 239. Tract. præced.

***

* * * Errores porro istos, jam antea a Luthero (in Cap. III. Gen.) & a Calvino (L. II. c. 1.) sparsos, Bajus una cum Joanne Hesselio Doctore Theologo in Lovaniensi Universitate magna partium contentione docebat; quam ad tempus Pius IV imposito parti utrique litiganti silentio sopivit. Attamen contentio anno 1563, Bajo a Concilio Tridentino redeunte, ad quod ab Hispaniarum Rege Philippo II Theologus missus fuerat, ob sparsa ab eo quædam opuscula, & a PP. Minoritis graviter accusata, vehementius recruduit. Ex his opusculis ad se delatis Pius V. Papa an. 1567. excerptas septuaginta novem propositiones solenni edita constitutione, tacito tamen Baji nomine, damnavit, sub hac clausula communi: *Quas quidem sententias stricto coram nobis examine ponderatas, quamquam non nullæ aliquo pacto sustineri possent, in rigore, & proprio verborum sensu ab assertoribus intento, suspectas, temerarias, hæreticas, erroneas, scandalosas &c., respective damnamus.* Verum cum postea Morillonius, Granvillani Cardinalis, & Archiepiscopi Mechliniensis Vicarius generalis, Bullam coram Facultate Theologica Lovaniensi promulgasset, & obedientiam eidem præstandam exegisset: Bajus datis ad Pontificem literis conquestus est, quod nullum Bullæ exemplum transcriptum nec Romæ, nec Lovanii, obtinere potuisset; cum interim propositiones damnatæ per totam inferiorem Germaniam circumferrentur. Apologia insuper suæ doctrinæ Romam missa, exponebat, plures propositiones damnatas sibi falso affictas, & reliquas ad mentem S. Augustini veras esse: videret itaque Pontifex, an Bullam pro sufficienter discussa, & legitima, an vero pro subreptitia, haberi vellet. Rescripsit Pius V., nihil actum nisi maturo cum examine in ea caussa fuisse; nihilominus, ut Bajo satisfaceret, curavisse se, ut & libri, & ipsæ propositiones, & scripta apologetica, novo ac maturo examine ponderarentur: quo facto se, *quæ super hoc ipso jam decrevisset, eadem de integro decernenda,*

sta-

ſtatuendaque eſſe judicare. Cum vero Morillonius iſtud Breve Bajo redderet, & ab eo ſciſcitaretur: num damnatas propoſitiones ejurare vellet; repoſuit hic: ſe id facere non poſſe, niſi Bullæ exemplar obtineret, eoquod in illa diceretur: *non nullas propoſitiones ſuſtineri poſſe in rigore, & proprio verborum ſenſu.* Non admiſit hunc prætextum Morillonius; ſed, nullo licet conceſſo Bullæ exemplo, eoquod Pontifex rem iſtam ſilentio ſupprimi cuperet; inſtitit urgere Bajum, donec tandem genuflexus ſententias omnes in Bulla damnatas ejuraverit. Paullo poſt Morillonius Bullam Pii V., quam antea coram ſola Facultate Theologica promulgarat, ritu ſolenni in Scholis publicis propoſuit: ſed licet tunc omnes ſe ſubjicerent; brevi tamen iterum aliqui damnatos articulos aſſerere cœpere, dicentes, hanc Bullam ab ipſa Sede Apoſtolica aliquando fore retractandam. Itaque Gregorius XIII Papa, Pii V. ſucceſſor, anno 1579 edita nova conſtitutione *Proviſionis noſtræ*, Bullam Pii V. confirmavit, omnesque articulos in ea contentos iterum damnavit, miſſo Lovanium Franciſco Toleto S. J. Concionatore, & Theologo Sedis Apoſtolicæ, ac poſtea Cardinale; qui anno ſequente in frequentiſſimo totius Academiæ conſeſſu per Conradum Sylvium Univerſitatis Notarium conſtitutionem Gregorii juſſit recitari, Bajumque publice interrogatum permovit, ut fateretur, *in Bulla multos articulos damnari, qui in quibusdam ejus libellis prius editis continerentur etiam in eo ſenſu, quo in Bulla damnarentur;* atque inſuper, *ut eosdem ſecundum Bullæ intentionem, & modum, & ipſe damnaret.* Quod exemplum poſtea ſecuti ſunt omnes reliqui Theologiæ Doctores, Licentiati, Baccalaurei, & ſtudioſi. Porro Bullas Pii V. & Gregorii XIII. diu poſt iterum confirmavit Urbanus VIII. in conſtitutione *In eminenti.* Hæc de cauſſa Baji tum ex literis Morillonii ad Cardinalem Granvillanum, tum ex actis Facultatis Theologicæ Lovanienſis deſumta; hic referre placuit uno loco: cum di-

versæ & alterius generis propositiones Baji in his Bullis tum in istius, tum in aliorum sequentium Tractatuum decursu, rediturae sint. Ceterum Bullam Pii V. quoad doctrinam a tota Ecclesia Gallicana receptam fuisse, ostendit Tournely Tom. I. de Gratia q. 3. Gallus ipse insignis Theologus; licet non sit acceptata quoad formam & certas clausulas moribus gallicanis adversas.

* * * * Cum Janseniani versus medium sequentis seculi decimi septimi plerasque Baji sententias damnatas revocarent, varios quæsivere obtentus ad Bullam Pii V. elevandam. *Dicebant* 1.) in clausula Bullæ comma non esse positum post verba *sustineri possent*; sed post illa, *in sensu ab auctoribus asserto*; ita, ut hic nexus prodeat: *Quamquam non nullæ ex istis propositionibus aliquo pacto sustineri possent in rigore, & proprio verborum sensu ab assertoribus intento; eas tamen ut hæreticas &c. damnamus.* Sed *respondeo* 1.) præ exemplaribus omnibus, forte incuria, aut dolo corruptis, attendi debet exemplar Romæ excusum, uti an. 1644. declaravit Congregatio Cardinalium. Testatur vero Cardinalis de Lugo, die 28. Octobr. 1644. se vidisse in ipso Francisci Toleti autographo comma post verbum *possent*. *Respondeo* 2.) Ipse Bajus confessus est, ex articulis in Bulla damnatis multos contineri in suis libellis, seque omnes damnare, prout in Bulla damnantur. *Respond.* 3.) Non solent Pontifices damnare propositiones, nisi in sensu proprio & usitato apud scriptores, ex quorum libris excerptæ sunt. Ridiculum enim foret, damnare sententias, quas ipse in sensu proprio sanas & ab omni errore immunes judicaveris. *Dicebant* 2.): propositiones solum censura vaga, indeterminata, & in globo damnatas esse, nec certam cuique crisin ex. gr. *hæreticæ*, vel *erroneæ* &c. appositam: imo ipsos Toletum, Bellarminum, Vasquez credidisse, aliquas solum confixas fuis-

fuisse propter acerbitatem censuræ, qua Bajus aliter a se sentientes in eis notabat. *Respond.* Sufficit bono cuique catholico, propositionem aliquam a Sede Apostolica damnatam, & hujus judicium ab Episcopis communi consensu probatum fuisse. An porro talis propositio hanc illamve censuram mereatur, ex subjecta materia colligi debet, & Doctorum scholæ examini relinqui potest. Prævivit jam id genus modo damnandi propositiones complures Joannis Wicleffi & Joannis Hussii exemplo suo Concilium Constantiense; nec aliter Sixtus IV, Papa damnavit plures assertiones Petri de Osma, & Leo X articulos Lutheri &c. Denique propositiones Bajanæ, quæ acerbiorem censuram continent, etiam hoc nomine falsæ esse, ac proinde ut tales damnari potuere. Interim pleræque nullam censuram continent. Hæc in ipso ingressu hujus Tractatus adnotare placuit; in quo sæpius de singularibus quibusdam propositionibus Bajanis per Pontifices prædictos damnatis redibit sermo.

CAPUT II.

DE GRATIIS DEI EXTERNIS NATURALIBUS ET SUPERNATURALIBUS.

249.

Creatio ipsa, natura universa, ejusque ordo præsens, ipsa quoque permissio malorum, veræ gratiæ sunt a DEO tum generi humano universe, tum singulis hominibus in hoc mundo aliquando existentibus singillatim exhibitæ. Res enim omnes creatæ a DEO sunt, & primitus ordinatæ sub certo compositionis modo, certisque legibus naturæ præscriptis (de DEO 125. I. 128. VIII.), ut sint me-

dia formaliter optima ad finem creationis optimum; id eſt, ad maximam beatitatem tum communem, tum ſingulorum hominum; quoad iſtorum ſalus cum majore communi ſalute non pugnatura a DEO prævidebatur: atque ut talia media formaliter optima res omnes creatæ, etiam mala ipſa a DEO permiſſa, ſeu per ſe, ſeu per accidens ratione prævifi boni uſus libertatis ſaltem ab electis faciendi circa eas media veri boni ſunt; id eſt, non ſolum non pugnant cum majore bono communi, ſed iſtud actu promovent (Eth. univ. chriſt. §. 26.); ita, ut ipſa malorum voluntaria permiſſio in DEO, ceu effectus immediatus vere bonus, imperetnr ab infinita benevolentia DEI. Ergo per §. 243. &c. Vide dictum S. Auguſtini ſupra §. cit. not.

* Non dixi, mala hujus mundi *per ſe eſſe bona*; ſed *per accidens* habere bonos effectus; cujus rei cauſſa tamen ipſa eorum *permiſſio divina voluntaria* vere actus benevolus & vera gratia eſt. Et hoc ipſo ſenſu ipſæ poenæ peccatorum paternæ, in hac vita peccantibus permiſſione malorum phyſicorum infligi ſolitæ, vere gratiæ ſunt: ut proinde homini ſapienti DEUS ſemper æque amabilis eſſe ac videri debeat, ſive in bonis quibuscunque naturalibus immiſſis, ſive in malis quibuscunque permiſſis. Hoc ſenſu dixit Job II. 10. *Si bona ſuſcepimus de manu DEI; mala quare non ſuſcipiamus?*

250.

I. *Creatio, natura mundi, ejusque univerſus ordo, Gratiæ mere naturales ſunt* (245.); *etſi a DEO ordinentur ad finem beatitatis ſupernaturalis*; quia hæc ordinatio ſeu intentio DEI illis extrinſeca eſt; nec per ſe virtute pollent eam beatitatem producen-

ducendi (Eth. univ. christ. §§. 138. 176.). Interim ordinatio hæc illorum utique supernaturalis est.

II. *Eadem sunt Gratiæ communes omnibus hominibus*; quia & de se apta sunt, ut cunctis instar medii serviant ad finem illum, & ea intentione benevola cunctis a DEO offeruntur. Hoc nempe sensu Christus Matth. V. 45. de Patre suo cœlesti dicebat: *Qui solem suum oriri fecit super bonos & malos, & pluit super justos & injustos.*

III. *Eadem fiunt Gratiæ particulares pro quovis individuo homine; quatenus eorum omnium bonus influxus externus in hunc determinatur per individuas circumstantias temporis, loci, & personarum, in quibus homo quisque individuus vitam præsentem agit.*

251.

Revelationes divinæ supernaturales, miracula, prophetiæ in veteri testamento inde ab initio mundi factæ, tum pro religione naturali, tum pro supernaturali, communi, & particulari judaica; item JESU Christi DEI Filii Incarnatio, vita, mors, doctrina, lex, exemplum, institutio novæ religionis christianæ sub certis cerimoniis externis, miracula & vaticinia in ejus confirmationem edita, & quæcunque bona ad cujusque æternam salutem promovendam per se utilia consecuta exinde tanquam ex principiis sunt, secundum se spectata, & prout extra individuum cujusque hominis existunt, totidem sunt Gratiæ externæ supernaturales theologice tales. Vera enim bona homini extrinseca per se sunt; nec nisi a principio efficiente supernaturali, immediato, vel mediato, existentiam habent, omniaque ex virtute propria, ceu media serviunt cuique homini ad beatitudinem supernaturalem promoven-

 do;

do; simulque a DEO sine merito sufficiente praevio cuique homini ex mera benevolentia & studio majoris boni communis praeparata sunt. Ergo per §§. 246. 245. &c.

* Ex his aliae *Gratiae immediate supernaturales* sunt; quae videlicet immediate ex aliqua actione vel concursu divino supernaturali existentiam habent; aliae *mediate*, quae scilicet in anteriore serie caussarum mediatarum actionem principii supernaturalis ita important, ut sine ejus interventu ex solis caussis naturalibus & primitiva harum dispositione, in ipsa jam facta creatione, neutiquam fuissent extitura; etsi modo, praesupposita in eventu aliquo supernaturali jam facta mutatione virium naturalium, immediate ex his ipsis caussis naturalibus sine interventu immediati principii supernaturalis eveniant. Principium nempe Cosmologicum est (Cosmol. 299.): *Siquid in mundo per miraculum, seu virtute supernaturali; contingit; sequens omnis exinde series eventuum, actionum, & passionum, alia erit, quam absque miraculo per solius naturae sibi relictae vires futura erat.* Porro *eandem divisionem locum in internis actualibus Gratiis habere*, per se patet.

CA-

CAPUT III.

DE GRATIA ACTUALI INTERNA THEOLOGICE TALI.

ARTICULUS I.

DE GRATIÆ ACTUALIS INTERNÆ SUPERNATURALIS NATURA, ET DIVISIONE.

252.

Ex *gratiis externis immediate ſupernaturalibus, de quibus* §. *præc.*, *neceſſitate naturali oriuntur Gratiæ internæ actuales*, *mediate ſupernaturales*, *theologice tales*. Ex revelatione enim externa religionis immediate ſupernaturali, ex miraculis & prophetiis, quæ in ejus confirmationem virtute immediate ſupernaturali divina eduntur, dum facta iſta in ſenſus incurrunt, & eorum natura atque poſſibilis origo etiam ſolius rationis naturalis acumine & reflexione expenduntur, oriuntur naturali neceſſitate cognitiones novæ intellectus, tum de his ipſis factis ſupernaturalibus, tum de dogmatis, quæ per ea revelantur divinitus, eæque tam claræ, tam certæ, & vivaces; quales per vires ſolius naturæ rationalis ſibi relictæ & ſine omni prævia Gratia externa ſupernaturali ortæ non fuiſſent; & immediate quidem ex ſola vi ſenſuum externorum, ea facta ſenſibilia & externa excipientium, ac rationis naturalis ſuper eisdem reflectentis; ac proinde *mediate tantum ſupernaturales* ſunt (præc. not.). Porro eædem ipſæ cognitiones *verum bonum* ſunt, a *DEI infinita benevolentia* per ipſas illas gratias externas intentum, ſimulque *directum ad finem creationis* noſtræ ulti-

ultimum promovendum; quatenus cognitiones illæ, ceu veræ illustrationes mentis nostræ, voluntatem simul nostram potenter movent ad actiones moraliter bonas exercendas, & vitandas moraliter malas. Denique illustrationes istæ, cum nobis obveniant inde a prima ætate, atque usu rationis vix incipiente, vel certe antequam eas vero sufficiente merito morali promereri a DEO poteramus; *veræ gratiæ* sunt (243.). Ergo &c.

253.

Gratiæ mediate supernaturales internæ actuales, ex Gratiis externis immediate supernaturalibus naturali necessitate in nobis exorientes (de quibus §. præced.), *immediate consistunt in ideis sensualibus, sensuum impressione exceptis*, ex. gr. in exceptis auditu ideis vocum, quibus divina revelatio supernaturalis exprimitur, & per quas excitantur ideæ phantasticæ de rebus per tales voces significatis; vel in exceptis visu ipsis ideis sensitivis factorum supernaturalium, nempe miraculorum, item vaticiniorum, atque exitus his respondentis; *quæ ideæ omnes sensuales, mediate supernaturales sunt* (251. not.), *& pro sua vivacitate rapiendo ad se attentionem mentis, determinant in ista adperceptiones objecti sui*, id est, tum dogmatum revelatorum per eas voces, tum miraculorum & vaticiniorum in divinæ revelationis eorumdem confirmationem editorum: *ita quidem, ut in ipsa receptione idearum illarum sensibilium, attentionem ad se rapientium, mens se mere passive habeat; active autem; dum easdem intuitu nondum libero in eas converso primo adpercipit, unaque earum objectum adpercipiendo ut bonum, vel ut malum, appetitione quadam nondum libera, nec deliberata movetur in bonum, vel simili aversatione in malum primo adperceptum.* Quibus ea, quæ de

de origine idearum ſenſibilium & adperceptionum primitivarum in mente humana in Pſychologia cap. II. Art. I. & II. docui, perſpecta ſunt; his ea, quæ modo tradidi, hoc ipſo in comperto erunt. Alios ea juvabunt, quæ tradidi in Ethica univ. chriſt. §. 289. usque ad n. 5.

254.

Itaque Gratiæ internæ actuales immediate theologice ſupernaturales erunt ſimiles ideæ adventitiæ, immediata DEI ſolius actione in mentibus humanis productæ, vel certe novum vivacioris impreſſionis lumen immediate ab ipſo DEO ideis illis ſenſibilibus §. præc. explicatis ſuperfuſum; cujus vivacitatis virtute multo intenſiore potentius ad objecti, ſupernaturali revelatione propoſiti (vel etiam ipſorum miraculorum, & vaticiniorum, ſi de fide revelationi habenda agitur) *attentionem & adperceptionem mens a DEO ipſo impulſa rapiatur; bonique & mali ratione inde in objecto vivacius perſpecta, in appetitu ipſo intenſior appetitio & averſatio indeliberata cieatur; quam id vulgo vel ſolis viribus naturæ, vel etiam per ideas tantum mediate ſupernaturales, §. præc. explicatas, fieri poſſit, & ſoleat.* Conceptus iſtius Gratiarum immediate ſupernaturalium internarum actualium realitatem ex ſequentibus principiis, mihi quidem indubitatis, oſtendo. 1.) Poſſibilitas in - & extrinſeca talium gratiarum ex eo evidens eſt; quod, cum ex factis extrinſecis, revelatione nimirum divina externa, miraculis, vaticiniis, & horum evangelica prædicatione ſemel facta, deinceps etiam per vires naturæ, facultate nempe ſenſuum externorum rite ad ea applicata, immediate oriri id genus ideæ adventitiæ, ſaltem minus vivaces, ſola nimirum impreſſione externa; poſſint; ſimiles utique ideæ etiam magis vivaces,

ac fortiori cum impressione, immediate ab ipso DEO in mente humana generari queant. 2.) Quia nullus alius modus possibilis assignari potest, quo oriri tales internæ Gratiæ actuales concipi queant; quibus mens rationalis in vero bono agnoscendo & amando dirigatur, & ad finem ultimum promoveatur. Quod enim alias de *lumine gloriæ* dixi in Eth. univ. christ. §. 242. not. 3. & 4., cujus ope beati DEUM immediate visuri sunt; idem de hoc internæ supernaturalis actualis Gratiæ concursu evidenter tenendum est; si aliquem talem dari simpliciter constet. Debet nimirum is concursus DEI supernaturalis ultra concursum ordinarium, quo facultates naturales, tam quæ principiorum efficientium, quam quæ subjecti actionem recipientis rationem habent, perpetuo conservantur (Ont. 238. & Theol. nat. 754.) insuper determinare aliquem effectum immediate divinum in mente; cujus ope mens, de se indifferens ad quamlibet objecti adperceptionem, a priori determinetür ad adperceptionem hujus potius quam alterius objecti; vel ad ejusdem objecti adperceptionem clariorem distinctioremve, quam fieri posset ex sola impressione in sensus mere naturali, orta ex. gr. ex prædicatione Evangelii, aut veritatum ad religionem ac mores pertinentium, vel etiam ex ipsa oculari præsentia factorum ac miraculorum, vel a Christo, vel ab Apostolis, in veritatis doctrinæ suæ contestationem patratorum. Jam vero effectus ille immediati concursus divini supernaturalis non potest immediate esse ipsa adperceptio: quia ista est actio immanens ipsius mentis spontanea (non libera) quæ illum divinum concursum a priori supponit, ceu complementum facultatis suæ necessarium ad talem adperceptionem producendam; sine quo facultas adpercipiendi solis naturæ viribus adjuta nondum esset completa ac determinata ad talem

talem talis objecti adperceptionem: fere ficut communiter ideis fenfibilibus tanquam ratione poffibilitatis & complementi facultatis fenfitivæ internæ indiget ad adperceptionem rerum quarumvis fenfibilium qua talium. Ergo denique is effectus immediate divinus non nifi in ideis adventitiis confiftit; vel fola actione divina immediate impreffis; tunc videlicet, cum objecta religionis, aut eorum evangelica prædicatio, actu in fenfus nullo pacto incurrunt; vel actione divina accedente ad actionem objecti externi religiofi, actu in fenfus incurrentis & agentis, & hujus energiam fua energia fuperaddita exaugente ad vivaciorem fui ideam in mente producendam; cujus vigore mens ad clariorem & diftinctiorem veri boni & mali adperceptionem rapiatur, atque hac mediante etiam multo intenfior illius appetitio, hujus vero averfatio, utraque quidem indeliberata, ac nondum libera, in eadem mente exoriatur. 3.) Denique *SS. Scriptura* fecundum hunc ipfum conceptum Gratias internas fupernaturales actuales nobis ubique defcribit fub nomine *locutionis*, qua DEUS ad cor loquitur (Ofe. II. 14. *ducam eum in folitudinem, & loquar ad cor ejus.*) fub nomine pulfus ad oftium cordis (Apoc. III. 20. *Ecce fto ad oftium, & pulfo: fiquis audierit vocem meam &c.,*) fub nomine *lucernæ, luminis &c.* (Pfal. CXVIII. *Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen femitis meis*). Jam vero omnes ifti conceptus fimilitudinem cum ea actione nobis repræfentant, qua res fenfibiles actione tranfeunte in mente fui ideas determinant. Ergo actio DEI Gratiam internam actualem immediate fupernaturalem producens haud alia eft, quam qualem defcripfimus. Et vero hoc fenfu Apoftolus rectiffime ait II. Cor. III. 5. *Non fufficientes fumus cogitare aliquid ex nobis, fed fufficientia noftra ex DEO eft*; qui fcilicet infundendo boni vi-

vaces ideas dat possibilitatem ipsius primæ bonæ cogitationis, qua invitamur ad bonum.

* Diversæ fuere circa Gratiæ actualis naturam sententiæ. 1.) *Arnaldus* Jansenistarum Prior T. VII. Epist. 598. docebat, Gratiam actualem esse ipsam actionem deliberatam & consensum creaturæ. *Verum* Gratia DEI prævenit omnem consensum, ac dari etiam tunc potest; cum creatura non consentit, imo etiam dissentit; ut infra de Gratia sufficiente ostendemus. Ergo in ipso consensu deliberato creaturæ rationalis gratia consistere non potest. Contradicit vero huic sententiæ clare S. Augustinus de Gratia & lib. arbitr. c. 17. dicens: *ut velimus, sine nobis operatur* (DEUS); *cum autem volumus, nobiscum operatur*. 2.) *Paschasius Quesnellus* Arnaldi in prioratu illo successor tenebat, Gratiam actualem esse ipsam omnipotentem DEI jubentis voluntatem. *Sed* etsi omnis DEI Gratia benevolam DEI voluntatem importet; tamen cum hæc voluntas simul debeat esse efficax (243.); effectum quemdam in mente hominis, cui gratia confertur, determinare debet; sine quo gratiam non constituit, multo minus Gratiam actualem internam in specie præ alia. Præterea Quesnellus his verbis *omnipotens DEI jubentis voluntas* volebat innuere, quod Gratia actualis sit talis, cui resisti non possit, ac quod consequenter non detur Gratia sufficiens; id quod hæreticum esse infra docebimus. Hinc inter alias Quesnelli propositiones nro 11. damnata est illa propositio a Clemente XI. 3.) Alii *recentiores* communissime docebant, Gratiam actualem internam consistere immediate in illustratione intellectus & inspiratione voluntatis. Per *illustrationem* vero intelligebant *lumen supernaturale* (sic loquebantur) intellectui creato a DEO infusum; per quod mens humana subito cognoscat verum bonum amandum, & verum malum fugiendum; quod pro-

proinde lumen consistat vel in vehementibus & claris adperceptionibus veritatum æternarum, vel etiam in judiciis, sed indeliberatis, ortisque in intellectu, quin de iis cogitemus, vel nobis ea imperemus. Per *inspirationem* intelligebant motus subitos indeliberatosque voluntatis supernaturales, ex iisdem adperceptionibus necessitate quadam exortos, quibus bonum verum supernaturali modo adperceptum appetimus, & verum malum similiter adperceptum aversamur; qui proinde motus modo sunt complacentia, gaudium, vel desiderium indeliberatum circa bonum illud, modo displicentia, tristitia, vel fuga a malo prædicto. *Hæc sententia in substantia verissima est; aberrat tamen in modo loquendi a recta metaphysica distincta locutione.* Enimvero adperceptiones & appetitiones illæ indeliberatæ de vero bono & malo ipsæmet esse immediatus ille DEI effectus non possunt, qui *Gratiam primam* actualem internam *immediate supernaturalem* constituit. Is enim solius DEI, ceu caussæ adæquatæ, effectus esse debet: cum ex adverso adperceptiones & appetitiones illæ, licet indeliberatæ, actiones vitales, & immanentes ipsius mentis nostræ sint. *Lumen* ergo illud *supernaturale*, ad quod istæ adperceptiones & appetitiones indeliberatæ in nobis necessitate physica consequuntur, *in* meris *ideis adventitiis*, a DEO immediate impressis, ac proinde *immediate supernaturalibus* consistit; idemque ciendo & rapiendo ad se ope vivacitatis impressionum suarum intuitum mentis, adperceptiones primo illas, ac deinde (cum ab adperceptione boni *voluptas*, a mali econtra adperceptione clare *tædium* abesse non possit) etiam appetitiones indeliberatas in mente determinat. Econtra adperceptiones istæ, & appetitiones, etsi & ipsæ sine dubio sint veræ Gratiæ internæ actuales superna-

tura-

turales; tamen primum non sunt in ordine Gratiarum internarum actualium supernaturalium; sed a priori naturæ supponunt alium DEI immediatum effectum, ideas nempe DEI actione impressas; per quem mens, de se indifferens ad eas ipsas adperceptiones concipiendas, determinetur ad istas actione propria efficiendas: fere sicut actione objectorum sensibilium in mente prius produci ideæ sensitivæ debent, ut per eas determinetur mens a priori ad has in specie & individuo rerum sensibilium adperceptiones. Enimvero consensus deliberatus hominis cum gratia DEI & ipse vere gratia DEI est; quatenus ut effectus mediatus, ac directe a DEO intentus, ex efficacia benevolæ divinæ voluntatis mere gratuita, tanquam a caussa partiali, procedit: & tamen in eo Gratiam internam actualem primam immediate supernaturalem, de qua hic præcipue nobis sermo est, nemo præter Quesnellum & Jansenianos reponit. Ergo etsi adperceptiones & motiones illæ indeliberatæ, ex impressione luminis supernaturalis, seu idearum immediate a DEO impressarum de vero bono & malo physica cum necessitate consequentes, veræ Gratiæ supernaturales sint; tamen Gratiæ actualis internæ immediate supernaturalis *essentiam*, seu primum, quod in ea concipitur, non constituunt; sed solum necessarii ejusdem vereque supernaturales sequelæ & attributa physica sunt. 4.) *Sententia Thomistarum* communis, teste Billuart, de natura istius gratiæ erat, quod sit qualitas mortua, non vitalis, transiens, a DEO homini impressa, immediate supernaturalis, & in mente excitans actus adperceptionum & appetitionum indeliberatos, & postea (si nempe homo gratiæ consentiat) etiam deliberatos. Et hæc sententia verissima mihi ac certa est; si voces obscuras *qualitatis mortuæ* explices per *ideas a DEO impressas* de vero bono & malo; quæ quidem veræ reales modificationes accidentales mentis, ac proinde qualitates modales

sunt

ſunt; &, quia paſſione recipiuntur, non autem actione immanente ſeu vitali ab mente ipſa producuntur, *mortuæ*, ſi ita velis, appellari poterunt; de cetero tamen ad actus vere vitales adperceptionum ejusdem veri boni & mali, appetitionumque circa ea variarum, mentem a priori, inſtar idearum ſenſitivarum, determinant.

255.

Ex hucusque dictis, & applicatis ſimul certiſſimis bonæ Pſychologiæ principiis, ſequentia Corollaria certiſſima fluunt.

I. *Ut impreſſiones immediate ſupernaturales Gratiæ internæ actualis attentionem mentis humanæ ad ſe rapiant, & adperceptiones indeliberatas de objectis veri boni & mali determinent, quorum ideas ingerunt menti; oportet, ut ſint ſatis vivaces ſeu intenſæ, relate ad alias ideas, quæ menti eidem eodem tempore obverſantur.* Secus enim tum ideæ adventitiæ fortiores obſcurant debiliores (Pſych. 56.); tum univerſe illæ, quæ vivacitate & claritatis intenſione ceteris præſtant, mentis intuitum & attentionem non liberam præ aliis ad ſe rapiunt (Pſych. 76. 77.) ac proinde adperceptiones indeliberatas aliarum impediunt.

II. *Pro gradu vivacitatis & intenſionis luminis Gratiæ internæ actualis immediate ſupernaturalis creſcet claritas & vivacitas intenſiva ipſarum adperceptionum indeliberatarum, quæ, attentione ſemel ad eas abrepta, in mente, ſic illuſtrata divinitus, neceſſitate phyſica conſequentur* (Pſych. 74. 75.).

III. *Pro gradu tum magnitudinis veri boni & mali, quod id genus ſupernaturales ideæ & illuſtrationes*

tiones menti repræsentant; pro gradu item distinctionis, qua plures veri boni & mali notas, ac denique pro gradu intensivæ claritatis, qua singulas quasque ex his notis seorsim repræsentant, simulque indeliberatas adperceptiones illarum sibi secundum hæc omnia commensuratas determinant; in ratione, inquam, composita horum graduum etiam vis illarum gratiarum crescit ad determinandas in mente indeliberatas veri boni appetitiones, complacentiæ nimirum amorem, gaudium, & desiderium, & veri mali aversationes, odium videlicet displicentiæ, tristitiam, fugam (Psych. 211. 219. 262.).

IV. *Ut tamen in præsentia talium supernaturali modo in mente exortarum illustrationum, adperceptionum, & motionum circa verum bonum & malum, locum habeat libertas indifferentiæ, cujus primus usus non nisi in ipsa attentione locum habet* (Eth. univ. christ. §. 513. 509.); *necesse est, ut adperceptiones boni ac mali apparentis, ex naturali inferiore cognoscendi facultate inprimis sensitiva ortæ, & consecutæ exinde circa idem appetitiones & aversationes indeliberatæ* (Psych. 263. 262.), *quas christiano idiomate concupiscentiæ motus vocamus, vivacitatis, intensionis, & extensionis seu distinctionis, gradum relativum tantum ad illos supernaturales Gratiæ effectus habeant, ut tam attentio ad utrumque objectum boni & mali, a Gratia, & a facultate cognoscendi naturali inferiore propositum, libera mox iterum relinquatur, nec stabiliter rapiatur ad alterutrum præ altero; tum ut magnitudo apparens boni & mali reipsa mere apparentis* (id est, vivacitas & distinctio adperceptionum ejus naturalium) *ad magnitudinem apparentem veri boni & mali* (id est, ad vivacitatem & distinctionem adperceptionum ejus supernaturalium) *graduum proportionem in ordine ad ciendos motus appetitus indeliberatos relative satis intensos*

tenſos utrinque habeant. Libertatis enim uſus primus ac locus in attentione eſt, ut modo dictum; ſine qua coexiſtentia ſimultanea ſtimulorum & motivorum contrariorum circa idem objectum appetendum, vel averſandum, locum habere non poteſt. Sine coexiſtentia porro talium ſtimulorum & motivorum contrariorum pugna affectuum, quorum alii ex ratione ſuperiore per gratiam illuſtrata, alii ex facultate cognoſcendi inferiore naturali ac ſenſitiva naſcuntur, exiſtere nequit; & ſine tali pugna nulla uſpiam exiſtit libertas (Pſych. 307. 310. 308. item in Eth. univ. chriſt. §. 513.). Pariter niſi ſtimuli & motiva proportione quadam virium ſuarum impellentium & apparentium reſpective polleant; libertas evaneſcit. (Eth. cit. §. 511.).

* Putes forte pugnantia componi, cum dicimus; attentionem rapi ad ſe a Gratia mentem circa verum bonum illuſtrante, & tamen eam liberam manere, ut denuo ſe convertere ad oppoſitum bonum mere apparens a facultate inferiore naturali repræſentatum queat. Verum facile hæc conſiſtere ſimul poſſe intelliges; ſi concipias, primum gratiæ impulſum quidem exceſſu virium ſuperponderantium aggredi mentem, & rapere ad ſe ejus intuitum; mox tamen ad locum libertati relinquendum in repræſentatione ipſa veri boni ac mali intra eum intenſionis exertarum virium gradum ſe continere, ut ne libertati morali abſolute præjudicium fiat, & proportione ſufficiente virium phantaſiæ, ſimul bonum ac malum apparens repræſentantis, attentio ad iſtud conſiderandum denuo reverti poſſit (Eth. cit. §. 509. 511.).

V. *DEUS itaque, libertatem homini relicturus in ordine ad locum merito ejus morali proprio relinquendum, his legibus in conferendis Gratiis internis actualibus quoad attemperationem virium illarum se accommodare debet; nec proin a potentia ejus præcise ac dominio in ea hypothesi libere dependet largiri gratiam quamlibet intensam.*

VI. *Vicissim, siquo in homine apprehensiones naturales boni ac mali mere apparentis, simulque motus concupiscentiæ illis respondentes ob conceptos jam ex frequentatis homogeneis malis actibus nimis vehementes sint* (Psych. 225. 262.); *ut libertas moralis ad verum bonum appetendum, & ad aversandum verum malum, in tali restituatur, sæpe non quævis intensio virium Gratiæ internæ supernaturalis actualis sufficiet, quæ sufficeret in alio, cujus mens nondum tanto pondere pravorum habituum & motuum concupiscentiæ malorum corrupta est; sed opus erit speciali & eximia gratiæ intensione, quæ vel superet, vel adæquet vires stimulorum illorum adversantium, vel saltem justam adhuc ponderis proportionem aliquam servet.* Atque hoc evidens *fundamentum* est *discriminis* non solum *Gratiæ sanitatis & medicinalis*, de quibus supra (247.) dictum; sed etiam *Gratiæ solum absolute sufficientis* ad moralem libertatem, & *sufficientis relative in his adversantium malorum stimulorum adjunctis;* de qua paullo post.

VII. *Libero etiam bono usu attentionis ad Gratiæ impulsus augeri porro adhuc potest distinctio adperceptionum de vero bono & malo per Gratiam jam semel indeliberate adpercepto & cognito; ita, ut exinde oriantur novæ distinctiores adperceptiones de eodem, jam non mere indeliberatæ ac necessariæ; atque ex his etiam vis major motivorum veri boni ac mali.*

mali. Sicut enim ex primo intensiore incursu alicujus ideæ sensitivæ initio abrepta ad illius intuitum mens solum confusam ejus adperceptionem efformat; quæ tamen pro toto gradu claritatis & distinctionis ideæ illius adventitiæ, ope reflexionis sollertis super singulas ejus partes factæ, primum ad gradum distinctionis eidem commensuratæ evehitur (Psych. 74): ita idem sine dubio etiam circa ideas illas supernaturales illustrantis mentem gratiæ locum habet. Inde est, quod toties DEUS in SS. Literis conqueratur, quod impii vocem suam internam audire nolint, & quod impius *noluit intelligere, ut bene ageret.* Psalm. XXXV. 4. Et Zach. VII. 11. postquam DEUS memorat, ad quæ opera justitiæ debita sæpe interne & externe impulerit populum suum; subdit: *& noluerunt attendere, & averterunt scapulam recedentem, & aures suas aggravarunt, ne audirent; & cor suum posuerunt ut adamantem, ne audirent.* Unde & minatur, nec se exauditurum clamores eorum in necessitate.

256.

Supposito porro conceptu Gratiæ internæ actualis immediate supernaturalis huc usque tradito; *quoad* ejus *Gratiæ influxum in actus voluntatis deliberatos moraliter bonos attinet, evidens est* 1.) *objecta, quæ ejus ope & lumine juvante cognoscuntur, influere per modum caussæ moralis;* cujus nimirum bonitas (vel malitia), cognita existere aliunde, movet instar *motivi objectivi* ad agendum, id est, ad aliquid appetendum, vel aversandum. Talia objecta maxime varia sunt, puta, perfectiones divinæ, leges divinæ, præmia & pœnæ a DEO intentatæ, exempla Christi & Sanctorum &c. (Ont. 265.).

Evidens est 2.) *ipsam Gratiam*, seu lumen illud impressum a DEO, quo objecta ista menti vivaciter repræsentantur, & cujus impulsu mentis intuitus excitatur ad talium objectorum claram adperceptionem æque ac appetitionem, vel aversationem indeliberatam, *influere per modum principii physici materialis tum in adperceptiones istas & appetitiones indeliberatas, tum mediantibus illis* adperceptionibus supernaturalibus, ceu motivis formalibus, & mediantibus appetitionibus istis item supernaturalibus (ratione principii Gratiæ influentis supernaturalis) ceu affectibus imperantibus, *etiam in ipsos actus voluntatis deliberatos moraliter bonos*, quos ob motiva illa objectiva, per gratiam cognita, elicit homo. Ideæ enim illæ a DEO impressæ, objectave illa repræsentantes, quæ formaliter Gratiæ essentiam conficiunt, reali sua existentia ratio possibilitatis sunt respectu adperceptionum, & his mediantibus etiam respectu appetitionum, seu motionum Gratiæ, indeliberatarum. Adperceptiones & appetitiones istæ, ceu motiva formalia, & affectus imperantes, rursus reali sua existentia ac præsentia determinant existentiam actuum deliberatorum voluntatis moraliter bonorum, non quidem ut principium efficiens, sed ut principium materiale, accidentale, & physicum (Ont. 264. 204. 258.), determinando nimirum illorum completam possibilitatem moralem, & ciendo ad agendum ipsam caussam efficientem, nempe voluntatem rationalem.

Evidens est 3.), *DEUM ipsum, ceu immediatam caussam efficientem ipsius Gratiæ, seu luminis impressi, hac ipsa actione* (qua Gratiam ut principium materiale, actu influens in actus moraliter bonos, eosdemque ciens, & provocans, producit in mente, conservat, & fovet, subinde etiam va-

rie id modificando, intendendo, & vertendo, donec ejus ope effectum a se in ea largienda intentum, ipsum nempe actum moraliter bonum consequatur) *influere in istos actus moraliter bonos per modum caussæ efficientis;* tum peculiare & supernaturale physicum materiale eorum principium, quod est Gratia (hic nro 2.), ad existentiam determinando; tum hujus ope supernaturali modo ciendo ac determinando non solum intellectum ad attentionem veri boni ac mali; sed etiam ipsam voluntatem ad illud amandum, hoc vero aversandum motivorum illorum illustriore repræsentatione. *Unde DEUS* se non modo habet instar externi Legislatoris, Doctoris, & Consiliarii, qui revelatione supernaturali semel facta, deinceps per naturales caussas, Apostolos, prædicatores, magistros, libros, propriamque rationem naturalem, homini & notitiam procurat veri boni ac mali, atque ad illud appetendum, hoc aversandum urget: sed insuper actione interna novam supernaturalem lucem illi qualicunque notitiæ superfundendo, eoque mediante per indeliberatos motus ciendo voluntatem ad consensum, istius existentiam *ut auctor principalis moralis, idemque specialis, ac supernaturalis,* determinat a priori.

* Vide in Theologia naturali jam a me demonstratum §. 764., quo pacto *DEUS*, etiam in providentia mere naturali, vel saltem in Gratiis mere externis supernaturalibus sistendo, *omnem actum moraliter bonum intellectu suo, voluntate, & potentia, in specie & individuo, ceu caussa per se, eaque principalis moralis, concursu immediato determinet, determinatione antecedente; non quidem completa, nec intrinsece a priori se sola jam efficaci; attamen in actu primo jam infallibiliter efficaci; ita quidem, ut creatura rationalis, libere se conformans determi-*

 na-

nationi divinæ, se habeat instar caussæ instrumentalis liberæ, quæ se determinari a DEO ad agendum bene moraliter libere sinit. **A fortiori ergo hoc totum valet de determinatione divina eorundem speciali ac immediate supernaturali per concursum Gratiæ, concursui DEI immediato naturali eodem fine superadditum.**

257.

Ex his porro *divisio celeberrima Gratiæ actualis* consequitur *in Gratiam excitantem, adjuvantem, & executricem. Gratia excitans* est Gratia actualis immediate supernaturalis, seu lumen illud atque ideæ immediate a DEO impressæ, de quibus §. 254. dictum; per quas DEUS determinando adperceptiones & appetitiones indeliberatas circa verum bonum & malum ciet & impellit voluntatem ad deliberatas illius appetitiones, & aversationes istius, seu actus moraliter bonos supernaturales. *Gratia adjuvans* est eadem Gratia actualis interna immediate supernaturalis, quatenus DEUS per eam, ceu per principium materiale physicum (præc. nro 2.) in actu secundo ut supernaturalis caussa principalis moralis, una cum creatura rationali, ei consensum præbente (seu se actu moveri tanquam instrumentum libere consentiente) actum voluntatis moraliter bonum determinat. Quoties enim *duæ concaussæ*, necessario simul requisitæ, conveniunt reipsa ad unum aliquem communem effectum producendum, rectissime *una adjuvare alteram* dicitur; maxime si utraque sit persona intellectu prædita, & deliberate agat utraque. *Gratia executrix* dicitur Gratia adjuvans, quæ post conceptum jam a creatura rationali illius ope bonæ voluntatis propositum, porro pergit influere in actus sequentes a primo illo

illo bono voluntatis actu imperatos, quibus id, quod semel bene propositum est, opere, sæpe etiam externo, plene perficitur, & executioni mandatur: ut siquis in prava consuetudine luxuriæ constitutus concipiat ope Gratiæ adjuvantis seriæ voluntatis propositum abstinendi deinceps a tali vitio, indeque ad id exequendum porro decernat vitare, & actu vitet omnia luxuriæ allectamenta, occasiones proximas, impudicos libros, imagines &c. Alii hanc triplicem Gratiam appellant *prævenientem*, *adjuvantem* seu *concomitantem*, & *subsequentem*: quæ nomenclationes ex ipsis SS. Literis petitæ sunt; cum passim in istis legantur. Sic legimus in Psalm. LVIII. 11. *Misericordia ejus præveniet me:* in Ps. XCIII. 19. *Misericordia tua adjuvabit me:* & in Ps. XXII. 6. *Misericordia tua subsequetur me.*

258.

Gratia interna actualis theologica subdividitur denique in sufficientem, & non sufficientem, ipsaque sufficiens Gratia in pure sufficientem, & efficacem. Itaque *Gratia sufficiens* est benevolentia DEI, saltem affective ac serio volens consensum creaturæ rationalis in actum moraliter bonum, & ideo conferens impulsum Gratiæ actualis internæ supernaturalis tam intensum, quam sufficere prævidet ad hoc, ut creatura rationalis exinde obtineat facultatem moralem completam liberam bene moraliter agendi. *Non sufficiens* est, per quam creatura rationalis talem facultatem moralem (id est, impotentiæ morali oppositam) complete non obtinet. *Pure sufficiens Gratia* est, quam DEUS largitur cum prævisione quidem orituræ ex ea facultatis moralis completæ ad bene moraliter agendum, sed non conjungendi cum ea ipsius consensus

ſenſus creaturæ in actum moraliter bonum. *Efficax Gratia* vero ea appellatur ab omnibus, quæ & ſufficiens eſt, & a DEO confertur cum præſcientia & voluntate ſimpliciter efficaci (de DEO §§. 65. 68.) conſenſus creaturæ.

* Definitiones iſtæ ab omni hypotheſi ſcholaſtica, imo etiam Sectariorum, abſtrahunt, & eſſentialia non niſi iſtarum gratiarum complectuntur. Cum enim gratiæ omnis eſſentiam ipſa benevolentia perſonæ eam conferentis conſtituat; benevolentia autem ab intellectu prælucente neceſſario dirigatur; gratiarum iſtarum eſſentia recte per prævifionem DEI de ſufficientia eorum donorum & auxiliorum, horumque effectibus, & per voluntatem iſtorum affective, vel etiam effective efficacem determinatur.

* * Ceterum obſervandum præterea eſt, fieri ſæpe poſſe, ut Gratiæ internæ actualis impulſus, qui uni homini in certis adjunctis & in certo gradu repugnantis concupiſcentiæ motuum ac ſtimulorum ſufficit, & ſufficere a DEO prævidetur ad conſervandam libertatem morali cum potentia expeditam ad actum bonum, eidem ipſi, vel alteri cuivis non ſufficiat, & non ſufficere prævideatur a DEO in aliis adjunctis poſito, ex. gr. pro caſu vehementiorum præſentium concupiſcentiæ actualis motuum. Itaque diſtinguendum inſuper erit inter *Gratiam abſolute ſufficientem* in aliis circumſtantiis & adjunctis, ac relate ad minores ſtimulos repugnantis concupiſcentiæ in eodem, vel in diverſo homine; & inter *Gratiam relative ſufficientem* in his præſentibus adjunctis & relate ad gradum præſentem intenſionis motuum concupiſcentiæ repugnantis. I. *Unde Gratia tantum abſolute ſufficiens*, & ſuffectura ſolum in aliis adjunctis minoris gradus repugnantium

tium motuum concupiscentiæ, non autem sufficiens relative, seu relate ad præsentes stimulos concupiscentiæ, *est Gratia in præsens simpliciter non sufficiens.* II. *Sola Gratia relative sufficiens est Gratia vere sufficiens.* Vide dicta §. 255. VI.

259.

I. *Omnis Gratia adjuvans, & executrix seu subsequens, efficax est* (præced.).

II. *Gratia excitans per se efficax, vel non efficax & pure sufficiens, esse potest.*

* *Definitiones omnes toto hoc articulo datas non nisi huc usque pro nominalibus haberi exigimus;* quarum scilicet possibilitatem per ea, quæ ad earum naturam, & influxum in actus bonos morales explicandum attulimus, quidem probavimus; at vero existentiam primum deinceps evincere constitutum habemus. Sic enim tractationem istam omnem ad bonæ Logicæ regulas exigi a nobis, consideranti patebit.

ARTICULUS II.

DE NECESSITATE GRATIÆ INTERNÆ ACTUALIS SUPERNATURALIS PRÆVENIENTIS AD ACTUS SALUTARES.

260.

Nobis *Adæ posteris omnibus, peccato originali in principio conceptus infectis, & nunquam statui primæ integritatis restitui solitis, sed relictis in na-*

turali ignorantia & concupiscentia, nobis, inquam, universe moraliter necessaria est Gratia vel internæ, vel externæ saltem revelationis divinæ etiam de fundamentalibus dogmatis religionis naturalis; quæ posterior in veteri testamento primis quidem Patriarchis facta est a DEO, seu immediate, seu per Angelos loquente; deinde populo judaico per Mosen & Prophetas; novissime autem nobis in novo testamento per JESUM Christum DEUM & Hominem. Thesis ista demonstrata a me est secundum omnem suum complexum quidem in decursu totius operis *Demonstratio evangelica* a me inscripti; prior vero ejus pars singillatim in cap. II. operis præfati.

261.

Pari ergo morali necessitate in casu revelationis solum exterius factæ necessariæ nobis sunt plurimæ Gratiæ internæ actuales mediate supernaturales, quæ ex revelatione supernaturali externa necessitate physica consequi debebant ad hoc, ut quæcunque DEI revelatio externa interne menti per ideas impressas mediate supernaturales applicaretur (252. 253.): quippe sine quibus revelatio DEI externa, cujus ignari penitus essemus, nobis nihil ad finem illum prodesset, cujus tamen unius caussa, ceu ad eum necessaria moraliter, concederetur a DEO.

* *Quæstio* porro est, utrum, cum DEUS revelationis illius externæ Gratiam abundantissimam in veteri testamento, & multo liberalius in novo per JESUM Christum, in nos effuderit; utrum, inquam, præter istam & alias id genus Gratias externas, cum illa connexas, puta, miracula, vaticinia, exemplum Christi &c., insuper omnibus & singulis nobis etiam ad obtinendam liberta-

tem

tem moralem completam bene moraliter agendi ita, prout necesse est ad vitam beatam supernaturalem per viam meriti moralis obtinendam, necessariæ sint Gratiæ actuales internæ immediate supernaturales, quæ nimirum non quidem revelationis seu locutionis divinæ cognitæ qua talis rationem habeant, sed sint meræ illustrationes & motiones, quales Artic. præc. a §. 542 descripsi; & quidem *primo* an tales *Gratiæ excitantes* necessariæ nobis sint ad obtinendam facultatem moralem liberam completam bene moraliter agendi; & ad quos actus moraliter bonos sint ita necessariæ: *Secundo* an ex his Gratiis excitantibus subinde aliquæ sint *Gratiæ pure sufficientes relative tales. Tertio* an ad hoc, ut consequatur ex tali Gratia excitante ipse actus moraliter bonus, ad quem excitant, necessarium porro sit, ut eadem *Gratia adjuvet* ita, ut, etsi libertatis quoque humanæ is effectus sit, DEO tanquam principali ejus auctori & operatori, instar veræ Gratiæ, actus ipse moraliter bonus inde consecutus, adscribi debeat. Et hæ tres quæstiones ad dogmata religionis catholicæ pertinent. Tertiæ quæstioni *quarta* mere scholastica adnectetur, in quo ratio Gratiæ adjuvantis, seu efficacis (258. 259. I.), qua talis consistat: in qua, factis historicis solum paullulo studio enarratis, cetera contra morem scholarum veterum, brevissime versabimur.

* * Circa primam & tertiam quæstionem celeberrima fuit *S. Augustino contra Pelagium, ejusque discipulos Cælestium & Julianum, controversia. Pelagius*, negato peccato originali, alienissimus simul erat ab omni eventu supernaturali admittendo, more Theistarum hodiernorum. Idcirco initio quidem omnem speciem Gratiæ supernaturalis internæ actualis negabat, solam admittens Gratiam na-

turalem ipſius liberi arbitrii naturalis; quam nomine *Gratiæ DEI* ſimpliciter compellans, *Patres Dioſpolitanæ Synodi* an. 415. egregie fefellit. Inde alterum inferebat errorem, videlicet, ſicut liberi arbitrii collatio ſolius DEI Gratia & effectus eſt; ita viciſſim voluntatem ipſam, & actionem moraliter bonam, ſolius hominis libero arbitrio bene utentis effectum eſſe, huic ſoli tribuendum, non DEO adjutori; quippe qui, etſi liberum arbitrium hujusque facultatem moralem bene agendi expeditam homini det, hunc tamen ad ipſam bonam voluntatem concipiendam, & exequendam, nullo pacto adjuvet. Argumentis tamen Catholicorum denique convictus admiſit ſubinde variam ſpeciem Gratiæ ſupernaturalis; ſed novo addito errore, hanc ſemper dari ob & poſt merita, voluntatis & liberi arbitrii naturalis prævio bono uſu jam acquiſita. Diſtinguebat nimirum Pelagius (ut ex propriis ejus verbis a S. Auguſtino relatis L. I. De Gratia Chriſti, c. 4. patet), tria hæc in actu libero moraliter bono, *poſſe, velle, agere. Primum* illud, *id eſt, poſſe, ad DEUM proprie pertinere* docebat, *qui illud creaturæ ſuæ conferat: duo vero reliqua, hoc eſt, velle & agere, ad hominem referenda eſſe* dicebat; *quia de arbitrii fonte deſcendunt.* In his verbis jam quidem univerſus error Pelagii latet, ſed involutus adhuc, & mille effugiis loco relicto, quæ S. Auguſtinus tum in citato libro, tum in aliis porro evolvit. Sequuntur enim in cit. loc. continue hæc Pelagii verba: *Ergo in voluntate & opere bono laus hominis eſt, imo & hominis & DEI; qui ipſius voluntatis & operis poſſibilitatem dedit; quique ipſam poſſibilitatem gratiæ ſuæ adjuvat ſemper auxilio.* His verbis involvere, imo penitus rurſus abſtergere utrumque primum illum errorem ſuum Pelagius videtur. Admittere enim præter poſſibilitatem, ſeu poteſtatem liberi arbitrii, videtur *Gratiam,* & quidem *adjuvantem.*

vantem. At enim acumine ſuo conſueto fallacias hominis mox in lucem protrahit *Auguſtinus.* PRIMUM enim *obſervat* in eodem libro. cap. 5 : *Quandocunque legimus, vel audimus, divinæ eum gratiæ adjutorium confiteri, ut a malo declinemus, bonumque faciamus, ſive in lege, atque doctrina,* SIVE UBILIBET CONSTITUAT, *ſciamus, quod loquitur; nec erremus, aliter eum intelligendo, quam ſentit. Scire quippe debemus, quod nec voluntatem noſtram, nec actionem, divino adjuvari credit auxilio, ſed ſolam poſſibilitatem voluntatis atque operis; quam ſolam in his tribus nos habere affirmat ex DEO; tanquam hoc ſit infirmum, quod ipſe DEUS poſuit in natura; cetera vero duo, quæ noſtra eſſe voluit, ita ſint firma, & fortia, & ſibi ſufficientia, ut nullo indigeant ejus auxilio. Et ideo non adjuvat, ut velimus; non adjuvat, ut agamus, ſed tantummodo adjuvat, ut velle, & agere valeamus.* Evidens ergo eſt, teſte Auguſtino, Pelagium, quamcunque demum quovis tempore gratiæ ſpeciem deinceps admiſerit (de quo mox dicemus), tamen illam ſemper ad aliud juvare negaviſſe, quam ut per eam, velut *Gratiam mere excitantem ac prævenientem*, poſſibilitas, id eſt, liberi arbitrii potentia augeatur; nunquam autem admiſiſſe, quod ea per modum *Gratiæ adjuvantis* in ipſam voluntatem, ſeu actum voluntatis moraliter bonum, & in actionem, ſeu illius executionem, influat. Quo ipſo nomine negavit, voluntatem ipſam & actionem DEO ut auctori tribuendam eſſe, ſed ſoli utramque vindicavit libero arbitrio. Hoc ſtudioſe nos advertere in dictis Pelagii rurſus monet ipſe Auguſtinus. Ad verba enim ſupra ex Pelagio citata, *ergo in voluntate & opere bono laus hominis eſt, imo & hominis & DEI &c.*, ipſe S. Pater L. cit. c. 6. ita monet: *Ne hinc incautos fallat: non enim hoc propterea dixit; quia ſecundum ſanam doctrinam intelli-*

telligi voluit, quod & velle, & operari DEUS operetur in nobis: sed cur hoc dixit, satis evidenter ostendit continuo subjungendo: qui ipsius voluntatis & operis possibilitatem dedit .... Non ait, ipsam voluntatem, vel ipsam operationem; ... sed ait, ipsam possibilitatem; illud videlicet ex tribus, quod in natura (id est, in naturali facultate liberi arbitrii) *locavit, gratiæ suæ adjuvat semper auxilio, ut scilicet in voluntate & actione non ideo laus sit DEI & hominis; quia sic vult homo, ut tamen ejus voluntati DEUS ardorem dilectionis inspiret, & sic operatur homo, ut tamen DEUS cooperetur. Sed ideo ad hanc laudem adjunxit & DEUM; quia, nisi natura esset, in qua nos condidit, qua velle & agere possemus, nec vellemus, nec ageremus.* Nihil apertius, quam Augustinum id erroris hic culpare in Pelagio, quod is, admittens qualemcunque *Gratiæ excitantis* speciem, tamen omnem *Gratiæ* ipsum actum voluntatis moraliter bonum, ejusque executionem *adjuvantis* talem rationem nunquam non absolute negaverit; ob cujus actualem influxum DEUS ipse evaderet ejus principium & auctor principalis. Et vero hunc eundem ipsum errorem nunquam Pelagium ejusque discipulos correxisse, multis quidem locis, & quidem in ultimis ipsis operibus suis asseveranter affirmat Augustinus. Hoc facit in citato L. de Gratia Christi cap. 10. dicens: *Nos volumus eam gratiam iste aliquando fateatur, qua futuræ gloriæ magnitudo non solum promittitur* (id est, nos excitamur ad eam credendam & sperandam), *verum etiam creditur, & speratur; nec solum revelatur sapientia, verum & amatur; non solum suadetur, quod bonum est, verum & persuadetur.* Et cap. 34. ibid.: *nec alicubi* (id est, non in ullis Pelagii scriptis) *potui reperire, hanc eum gratiam confiteri, qua ipsa etiam voluntas, & actio subministratione spiritus adjuvatur.* Similia de reliquis Pelagianis adhuc in ultimo illo ope-

opere suo *de hæresibus* hæresi 88. affirmat: *Hi DEI gratiæ, quæ diffunditur in cordibus nostris, ut fides per dilectionem operetur, in tantum inimici sunt, ut sine hac hominem posse credant facere omnia divina mandata.* .... *Illam vero gratiam, sine qua nihil boni possumus facere, non esse dicunt nisi in libero arbitrio; quod nullis suis præcedentibus meritis ab illo accepit nostra natura;* AD HOC TANTUM IPSO ADJUVANTE *per suam legem atque doctrinam, ut discamus, quæ facere, & quæ sperare debeamus; non autem ad hoc per donum spiritus sui, ut, quæ didicerimus esse facienda, faciamus. Ac per hoc divinitus dari nobis scientiam confitentur, qua ignorantia pellitur:* CARITATEM AUTEM DARI NEGANT, *qua pie vivitur: ut scilicet, cum sit donum DEI scientia, quæ sine caritate inflat, non sit DEI donum ipsa caritas, quæ, ut scientia non inflet, ædificat.* Vides evidenter, ad finem usque asseverare Augustinum, Pelagianos nunquam non negasse, ipsum bonum actum voluntatis, ejusque executionem, *Gratia adjuvante* a DEO promoveri, & hoc nomine a DEO, ceu auctore principali supernaturali oriri, vel ei adscribi posse. Unde cum idem ipsum negarent de substantia salutis electorum, de initio fidei & ipsa fide in Christum, scilicet utriusque DEUM speciali gratia auctorem esse, & hæc omnia soli libero arbitrio adscriberent; idcirco S. Augustinus synopsin hæresis Pelagianæ circa DEI Gratiam in eadem hæresi 88va sub initium mox his verbis complectitur: *Hi* (Pelagiani) *DEI Gratiæ,* QUA PRAEDESTINATI SUMUS *in adoptionem filiorum per JESUM Christum, & qua eruimur de potestate tenebrarum, ut* IN EUM CREDAMUS, ET QUA DIFFUNDITUR CARITAS *in cordibus nostris, in tantum inimici sunt &c.* Atque hæc quidem de errore Pelagii *circa Gratiam adjuvantem* ab Augustino graphice observato. Scio, quosdam putasse, his omnibus Augustini dictis illud præcise

pro-

probari, quod Pelagiani, admittendo qualemcunque *Gratiam excitantem intellectum*, per illustrationes, seu adperceptiones, mediate, vel etiam immediate supernaturales; tamen nunquam admiserint *Gratiam excitantem voluntatem* per *inspirationes* similiter mediate, vel immediate supernaturales. Verum evidens mihi est, ab Augustino semper inprimis a Pelagianis exigi *Gratiam adjuvantem* ipsum actum bonum voluntatis deliberatum; quem nunc *fidem*, qua credimus in JESUM, nunc *dilectionem*, & *caritatem* appellat; & ob cujus Gratiæ adjuvantis negatum a Pelagianis influxum sequeretur, ipsos actus illos deliberatos bonæ voluntatis, eorumque executionem, non DEO ut eorum vero immediato auctori, sed soli libero arbitrio adscribi posse; id quod semper objicit his sectariis Augustinus. Et vero ipsum *argumentum, quo Pelagiani* hanc voluntatis *Gratiam adjuvantem pertinaciter respuebant*, rem evincit. *Ajebant* nempe, si talis Gratia ultra excitantem requireretur, qua DEUS ipse concaussa esset actus boni deliberati, & quidem necessario requisita, liberum non fore homini, ut bene agat; sed DEO adjuvante necessario bene acturum; non adjuvante fore, ut nec posset bene velle & agere. Ceterum ubi adperceptiones sat claræ adsunt; ibi motiones indeliberatæ, ex intuitu claro veri boni, aut mali, necessitate naturali oriri solitæ, per se abesse non possunt. Unde *ab illustrationibus Gratiæ inspirationis*, quas dicimus, *nunquam abesse possunt* (254. not. 1. nro 3.).

* * * *Alter error*, quem S. Augustinus in illis verbis aliisque scriptis Pelagii observat, *circa naturam Gratiæ excitantis* versatur, quam solam admittit, & ultra quam nullam aliam necessariam esse tenebat. Et initio quidem solum liberum arbitrium naturale admittebat, quam *possi-*

possibilitatem illam appellabat, quam solus DEUS cum natura nobis etiam sine nobis, id est, sine ullo concursu aut merito nostro largiretur. Imo hanc unam *absolute sufficere* ad omnia peccata vitanda, & ad servanda omnia DEI mandata, & ipse Pelagius, & discipuli ejus ad finem usque asseveranter asseruere; illam ad errorem tegendum sæpe nomine *Gratiæ DEI*, sed mere naturalis scilicet, appellantes. *Hanc possibilitatem in natura eum ponere*, ait S. Augustinus de Pelagio L. de Gratia Christi. cap. 6., *de verbis ejus superioribus clarum est* (quæ nempe adnot. præc. prima ex hujus libri cap. 4. ex Augustino citavimus) .... *Hanc autem naturalem possibilitatem quod adjuvari DEI Gratia confitetur, non est hic apertum* (ita pergit S. Pater), *quam dicat gratiam; sed sicut in aliis locis intelligi potest, non vult aliud accipi, quam legem atque doctrinam, qua naturalis possibilitas adjuvetur. Nam quodam loco ait: DEUS illis, quibus aliquid imperavit, etiam gratiæ suæ auxilium subministrat, ut, quod per liberum homines facere jubentur auxilium, facilius possent implere per gratiam: quam nos non, ut tu putas, in lege tantummodo, sed & in DEI esse adjutorio confitemur.* Sed quodnam hoc adjutorium? *Adjuvat nos, inquit, DEUS per doctrinam & revelationem suam, dum cordis nostri oculos aperit; dum nobis, ne præsentibus occupemur, futura demonstrat; dum diaboli pandit insidias; dum nos multiformi & ineffabili dono gratiæ cœlestis illuminat.* Ex quibus patet, Pelagium, etsi constanter teneret, sufficere absolute ad omnia mandata DEI servanda liberum arbitrium naturale, tamen argumentis Catholicorum eo adactum ad *facilius* observanda admisisse, istud juvari *Gratia* illustrante supernaturali externa & interna: *externa* quidem legis & prædicationis Evangelii, atque exempli Christi, quod aliquando expressis verbis commemorat (vide S. August. L. de Gratia cap. 35. 37. & 41.) seu Gratiam no-

væ legis propriam; *interna* vero illustrationis divinæ immediatæ. *In his omnibus* (ita pergit adnotare ad ea Pelagii verba Augustinus cit. Lib. c. 7.) *non recessit a commendatione legis atque doctrinæ, hanc esse adjuvantem Gratiam, diligenter inculcans*; qua scilicet DEUS ipsam possibilitatem liberi arbitrii naturalis *ad facilius posse* adjuvaret, non ipsam voluntatem & actionem. Porro istas Gratias legis externæ & doctrinæ Pelagium sic præcise concedi a DEO affirmasse, ut faciliorem quidem potentiam liberi arbitrii constituerent; ita tamen, ut etiam sine illis liberum arbitrium naturale sufficeret, S. Augustinus cit. Lib. cap. 26. 27. & 28. identidem inculcat. P. Berthi quidem defendit, Pelagianos denique admisisse necessitatem Gratiæ internæ illustrationis, non item inspirationis; sed id tam tenuibus probat, imo inverisimilibus argumentis, ut refutari non mereatur.

**** *Tertius* denique *error* in eo erat, quod *Gratias* libero arbitrio naturali superadditas, quibus possibilitatem ejus naturalem adjuvari denique fatebatur, *ob meritum* præcedens ipsius solius *liberi arbitrii naturalis dari* assereret. Hunc errorem ipsis conceptis Pelagii verbis refert in cit. Lib. de Gratia cap. 31. hoc modo: *Quam liberi arbitrii potestatem dicimus* (verba Pelagii hæc sunt) *in omnibus esse generaliter, in Christianis, Judæis, atque Gentilibus. In omnibus est liberum arbitrium æqualiter per naturam; sed in solis Christianis juvatur Gratia .... In illis* (Gentilibus & Judæis) *nudum & inerme est conditionis bonum: in his vero, qui ad Christum pertinent, Christi munitur auxilio. Illi ideo judicandi sunt atque damnandi; quia, cum habeant liberum arbitrium, per quod ad fidem venire possent, & DEI Gratiam promereri, male utuntur libertate concessa. Hi vero remunerandi sunt, qui bene*

bene utentes libero arbitrio merentur Domini gratiam, & ejus mandata custodiunt. Post quæ Pelagii a se relata verba mox subdit de suo Augustinus: *Nempe manifestum est, eum dicere, gratiam secundum merita dari, quamlibet eam, vel qualemlibet significet; quam tamen aperte non exprimit. Nam cum eos remunerandos dicit, qui bene utuntur libero arbitrio, & ideo mereri Domini gratiam; debitum eis reddi fatetur.* Denique in Lib. de Gratia & libero arbit., in quo hunc ipsum errorem ex proposito refutat Augustinus, cap. 6. paucis verbis errorem Pelagianorum sic refert: *Dicunt Pelagiani, hanc esse solam non secundum merita nostra gratiam, qua homini peccata dimittuntur: illam vero, quæ datur in finem, id est, vitam æternam, meritis nostris præcedentibus reddi.*

***** Cum Pelagius & Cœlestius errores istos de Gratia DEI una cum errore de peccato originali in Africa, Ægypto, & Palæstina sparsisset, in iisdem Conciliis, & ab iisdem Romanis Pontificibus, damnati fuere, a quibus errorem de peccato originali damnatum fuisse in Tract. præc. §. 227. not. 1. enarravi. Confirmarunt istas damnationis sententias, qui deinde post Zosimum secuti sunt, Romani Pontifices, Bonifacius I., Cœlestinus I., Sixtus III., Leo I.; uti testatur Gelasius I. in Epist. ad Honorium Dalmatiæ Episcopum scribens: *An forte nescitis, hanc hæresin dudum ab Apostolica Sede per beatæ memoriæ Innocentium, ac deinde Zosimum, Bonifacium, Cœlestinum, Sixtum, Leonem, continuis & incessabilibus sententiis fuisse prostratam.* Unde *S. Prosper* in carmine de ingratis canit: *Pestem subeuntem prima recidit Sedes Roma Petri, quæ pastoralis honoris facta caput mundo, quidquid non possidet armis, relligione tenet.* Præterea in *Ephesina Synodo Oecumenica*, ubi Nestorius damnatus est, damnati sunt etiam generalibus terminis Cœlestiani, seu Pelagiani omnes.

nes. Hi enim adjunxerunt sese in oriente Nestorio, videntes dissensionem Episcoporum, & docuerunt, hominem per puras vires liberi arbitrii posse eo pervenire, quo pervenit Christus, seu ad sanctitatem sanctitati Christi parem; sicut Nestorius docuit, hominem illum Christum per suos actus meruisse assumi in Filium Dei adoptivum. Postea vero Pelagiani quoque Decretis cæsareis iteratis ex universo imperio orientali & occidentali proscripti sunt, ab Honorio quidem Imperatore an. 418. & 419. a Constantio an. 421. a Valentiniano III. an. 425., ac demum a Theodosio juniore an. 430.

****** Verum surrexit ex reliquiis Pelagianorum sub initium seculi quinti alia *hæresis Semipelagianorum*; quacum pugna S. Augustino in ultima ætate fuit non minus pertinax quam subtilis, & postea secutis temporibus mille aliarum ferax. *Semipelagiani* appellati sunt; quia veluti dimidiatum Pelagii errorem adoptarunt. Admisso enim peccato originali, & necessitate Gratiæ internæ excitantis, illustrantis, & moventis, ad omnes actus salutares bonorum operum, & ad omne etiam initium boni operis; distinguebant tamen inter *fidem ejusque initium*, & *inter bonum opus & ejusdem initium:* ad fidei initium, ipsamque fidem (quam negabant esse bonum opus, eo quod intellectus assensus esset, non actus voluntatis) negabant Gratiam internam excitantem moventemque nobis esse necessariam; ad bonum omne opus, ejusque initium, esse necessariam concedebant: initium fidei a nobis esse; non item initium boni operis; quod DEO ejusque gratiæ tribuendum esse fatebantur. Porro *ad initium fidei referebant sequentes actus.* Cum nempe homo ex prædicatione Evangelii cognoscit virtutem Christi & Baptismi efficaciam, atque ea, quæ ipsi annuntiantur de adventu Messiæ; potest *credere* sine ulla gratia alia, præcise *ex auditu,*

ditu; *fides enim ex auditu*, ut dicit Apoftolus; poteft deinde *concipere fiduciam* in Chriftum; poteft concipere *defiderium falutis* & baptismi confequendi, agnofcere fua vulnera & egeftatem. Porro cum advertit, fuum conatum effe valde debilem & inefficacem; poteft per vires folius liberi arbitrii *orare*, ut DEUS fefe adjuvet, & erigat; & tunc DEUS infallibiliter dabit Gratiam internam neceffariam ad opera ulteriora; quibus porro falus ipfa operanda & confequenda eft: quia illa *fides naturalis*, *fiducia*, *defiderium*, *conatus*, *preces*, omnia naturalia, movent DEUM, ut det gratiam; & hæc gratia erit vera gratia; fcriptum eft enim: *Quærite*, *& invenietis; pulfate*, *& aperietur vobis; petite*, *& accipietis*: eadem vero Scriptura, dicebant, affirmat quidem, *DEUS operatur omnia in omnibus*, non autem, *DEUS omnia credit in omnibus*. *Exemplo* hoc etiam *declarabant*. Ponamus hominem multa ægritudine afflictum. Audit is, medicum præftantiffimum adveniffe, qui plurimos fimili morbo laborantes jam fanaffet. Hæc ab idoneis teftibus audita poteft credere: dein poteft credere, etiam fibi mederi eundem medicum poffe, fi velit: poteft concipere defiderium fanitatis & fiduciam in medicum, tum vero conari furgere a lecto; fed advertens, fe non poffe fuis viribus, poteft vocare medicum, & rogare, ut fe juvet. Hi omnes actus tum folius ægroti funt, tum partem curationis nondum conficiunt: quia per hos ille non fit fanior ullo pacto. Hinc fi medicus adhibet deinde medicinam, huic foli adfcribi fanatio poteft. Sic a pari homo ex. gr. gentilis fentit fe faucium peccato originali. Audit ex præcone Evangelii, veniffe Chriftum; ab hoc mira virtute fanatos alios innumerabiles &c. Decernit dein: ergo & ego declinabo jam a malo, & quia non poffum virtute propria ob infirmitatem concupifcentiæ naturalis, hinc me vertam ad Chriftum medicum divinum &c. *Ar-*

gumenta porro *praecipua erroris* hæc a Semipelagianis afferebantur: 1.) ajebant: nisi homo solus per vires liberi arbitrii ista saltem possit, nempe credere, conari, orare &c., ac per ista mereri gratiam ulteriorem operum salutarium; *non apparet*, quomodo adhuc detur *liberum arbitrium*; quia in omnibus, si DEUS Gratiam adjuvantem det, omnia fient bene arbitrio solius DEI; si non det, fieri bene nihil poterit, etsi vellet homo. Ex adverso admisso temperamento illo discriminis inter initium fidei, & opera salutaria, nullus dubitabit, quin in illo fidei initio saltem liberum arbitrium obtineat. 2.) Nisi hoc dicatur, nempe DEUM dare Gratiam supernaturalem iis, qui per liberum arbitrium credunt, *sequetur* aperte, *DEUM* esse *acceptorem personarum*, nec respicere ullo modo ad bonum usum liberi arbitrii in distributione gratiæ & gloriæ. Ex adverso secundum Semipelagianos facile intelligi, cur unus præ alio accipiat utramque; quia nempe uno bene incipiente uti libero arbitrio, DEUS in illo opus salutis perficit per Gratiam, & eidem gloriam retribuit; altero nunquam incipiente DEUS cœptum in eo nunquam perficere per Gratiam potest. 3.) Denique sic media se via incedere putabant inter Pelagium & Augustinum; quorum hic illis nimis rigidus videbatur, nihil tribuendo libero arbitrio; ille nimis benignus, eidem omnia sine Gratia DEI adscribendo. *Distinguebant* autem etiam *initium* & *augmentum fidei*, & *perseverantiam in fide*. *Initium fidei* constituebant in actibus jam recensitis; quos dicebant cum Pelagio esse ex solo libero arbitrio, sine alia Gratia supernaturali. *Augmentum fidei* dicebant opera salutaria, posita per Gratiam supernaturalem internam; quia, ut ajebant, per ipsa bona opera in nobis augetur fides. Hoc cum S. Augustino adscribebant DEO & ejus Gratiæ. *Perseverantiam fidei* docebant esse continuationem operum bonorum usque ad perfectionem & vitæ

finem:

finem: ad quam pariter opus esse Gratia supernaturali fatebantur. 4.) Porro cum S. Augustinus Semipelagianos præcipue urgeret eo casu, quo duo parvuli ante usum rationis moriuntur; quorum neuter credidit &c.; & tamen unus pervenit ad baptismum & salutem, alter non; quin tamen DEUS dici possit acceptor personarum: *respondebant* illi: uni parvulo concedi gratiam propter merita, non quidem absolute, sed conditionate prævisa; quæ merita non prævideantur ex parte alterius. Hinc illi in præmium talium meritorum concedi gratiam Baptismi & gloriam; non item huic. Hæc esse Semipelagianorum & errata, & argumenta, discimus ex S. Augustino, qui scriptis pluribus Libris & Epistolis eos refutavit, tum ex SS. Hilario Arelatensi (non Episcopo, sed verisimilius laico homine) & Prospero; qui duo multa super eadem re ad S. Augustinum perscripsere. Ceteros errores Semipelagianorum de gratuita prædestinatione ad merita, & perseverantia in bono, enarravi jam in Tract. de DEO §§. 86. 87. not.

******* Porro inter eos, qui hoc errore involuti fuere, se ipsum aliquando ante Episcopatum fuisse, eumque in non nullis scriptis, præsertim in expositione quarumdam propositionum Epistolæ ad Romanos expressisse, fatetur ipse *S. Augustinus* in L. I. de Prædest. Sanctor. cap. 3.: in quo loco mox & hunc errorem suum, & omnia argumenta Semipelagianorum a semet ipso quoque tunc pro eodem defendendo allata, studiose refutat, rotunde affirmans, *utrumque*, & fidem nempe, & opera, *nostrum esse propter arbitrium voluntatis, & utrumque tamen datum esse per spiritum fidei & caritatis.* Porro errorem suum his ipse verbis describit: *Cum similiter errorem, putans, fidem, qua in DEUM credimus, non esse donum DEI, sed a nobis esse in nobis, & per illam nos impetra-*

re DEI dona, quibus temperanter, & juste, & pie vivamus in hoc seculo. Neque enim fidem putabam DEI gratia præveniri, ut per illam nobis daretur, quod poſceremus utiliter; niſi quia credere non poſſemus, ſi non præcederet præconium veritatis Ut autem prædicato nobis Evangelio conſentiremus, noſtrum eſſe proprium, & nobis ex nobis eſſe, arbitrabar. Ex hisce occaſionem deinde ſumſere primi Semipelagiani accuſandi & urgendi ipſum S. Auguſtinum, diverſa ab his contra Pelagianos ſcribentem. Et primi quidem Semipelagianiſmi prædicatores circa annum 428, adeoque 23 annis poſt ortum Pelagianiſmum, fuere in Africa Monachi Adrumetini, epiſtolam S. Auguſtini ad Sixtum tunc adhuc Presbyterum in ſenſu a mente illius alieno, veluti libertati inimicam in omni negotio prædeſtinationis ad gratiam explicando (de DEO §. 86.), accipientes: quos ut corrigeret, S. Doctor edidit libros de Gratia & libero arbitrio, & de correptione & gratia. Poſtea Vitalis Carthaginenſis, aperte Semipelagianum ſeſe profeſſus, per epiſtolam (ep. 217. alias 107.) de errore graviter commonitus eſt ab eodem S. Auguſtino, duodecim regulas fidei circa Gratiam ei proponente. Ex Africa Semipelagianiſmus transfretavit in Galliam; ubi per multos eosque magni nominis viros, præſertim in Arelatenſi & Lugdunenſi provincia propagatus fuit: qua de re S. Auguſtinus a Proſpero, qui ejus doctrinæ defenſionem ſuſceperat, admonitus, rurſus duos libros, unum de Prædeſt. Sanct., alterum de Dono perſev. conſcripſit, & ad Maſſilienſes direxit. Verum his inſuper-habitis adeo crevit numerus Semipelagianorum, ut eorum dignitate, eruditione, & numero commoti Proſper & Hilarius Romam adire coacti ſint, & apud Cœleſtinum I. Papam querelas ſuas deponere; a quo obtinuerunt epiſtolam ad quosdam Galliæ Epiſcopos, in qua Pontifex laudat S. Auguſtini doctrinam, & ejus obtrectatoribus ſilentium imponit. Decretum quoque Gelaſii Papæ,

in

in Synodo Romana an. 494, ut fertur, editum, damnatis Cassiani & Fausti libris, SS. Augustini & Prosperi opera commendat. Sed vide de hoc Decreto in Loc. Theol. §. 47. not. Interim nihil toto seculo V. certo Ecclesiæ solenni oraculo contra Semipelagianismum definitum fuit; ut proinde mirum non sit, quod illi tunc adhæserint viri pietate & eruditione præstantes, ac ceteroquin Pelagianæ hæresis acerrimi impugnatores. Præcipuos enumerare juvat. *Joannes Cassianus* Presbyter Massiliensis, Collator a S. Prospero vocatus ob collationes Patrum ab ipso editas, in earum decima tertia sub persona Abbatis Chæremonis semipelagianum errorem apertissime propugnat. Ejus memoria Massillæ solenni ritu colitur die 31. Julii. *Faustus*, ex Abbate Lyrinensi factus Episcopus Regiensis in Gallia, ex mandato Concilii Arelatensis & Lugdunensis, scriptis confutavit Lucidum quemdam Presbyterum prædestinatianum: sed mandati limites prætergressus in Massiliensium errorem impegit. Etiam istius nomen sacris Gallicanæ Ecclesiæ fastis adscriptum esse adnotat Baronius ad an. 490. n. 42. Inter Semipelagianos præterea præcipuo loco numerandi veniunt Hilarius Episcopus Arelatensis, Honoratus Episcopus Massiliensis, Severus Sulpitius Presbyter Gallicanus, Gennadius Massiliensis Presbyter, & Vincentius quidam; quem alii cum Vossio & Norisio (in Hist. Pelag. L. I.) eundem esse putant cum Lyrinensi celeberrimo Commonitorii scriptore, alii cum Baronio (ad an. Christi 431. n. 188.) differre ab isto credunt. Exitus denique is infelix fuit sectæ istius, ut post seculum integrum a suo exortu, nimirum an. 529., in Concilio Arausicano II. sub Felice IV. Papa ejus errores damnarentur 25 Canonibus, ex S. Augustini doctrina conflatis; quod Concilium rursus confirmatum est a Bonifacio II. Felicis IV. successore, & indubitatam habet apud omnes Catholicos auctoritatem. Eandem damnationem in-

instauravit Concilium Tridentinum Sess. VI. de Justificatione Can. 2. & 3.

******** Celebris in hoc argumento est propositio 4ta inter quinque damnatas Jansenii; quæ ita habet: *Semipelagiani admittebant Gratiæ interioris prævenientis necessitatem ad singulos actus, etiam ad initium fidei; & in hoc erant hæretici, quod vellent, eam talem esse, cui voluntas possit resistere.* Damnata est autem ut *falsa & hæretica*. Quid opus erat addere, esse falsam? Utique, si hæretica, hoc ipso etiam falsa est. Sed nempe duas partes propositio habet. Prima est de facto; & hæc falsa solum esse, non autem esse hæretica potest. Altera est de dogmate; & hæc damnatnr ut hæretica. Hac tamen insuperhabita damnatione falsitatis facti a Jansenio asserti, adhuc *P. Berti* audet idem asserere, ac tenere Semipelagianos omnes admisisse necessitatem illustrationis internæ supernaturalis ad omnes actus, etiam ad initium fidei, idque esse manifestum, nempe ex eo, quod admiserint necessitatem præconii evangelici externi. Præivere Bertium similis assertionis temeritate *Gonetus* in Clypeo Thomistico (hic tamen re melius perpensa retractavit dicta in editione Lugdunensi) *Contenson*, ambo Dominicani, & *Macedo* Minorita. Atqui contradicit illis conceptis verbis *S. Prosper* in Ep. ad Augustin. Is, *quando fuerint convicti*, inquit, *ut admitterent aliquam Gratiam internam, prævenientem omnia merita, requisitam ad omnia merita*; *respondent: etiam. Sed nihil aliud intelligunt, quam eam gratiam, quæ est ex naturali hominis conditione, naturalem scilicet facultatem, & liberum arbitrium.* Quid quod rationes omnes, seu argumenta Semipelagianorum corruissent, si semel vel illustrationis internæ necessitatem admisissent (hic not. 5.). Sed jam ad errores hos ordine refutandos animum convertamus.

262.

Actum moraliter bonum salutarem, seu *opus salutare*, appellamus talem actum liberum moraliter bonum, qui ratione completæ virtutis & efficaciæ voluntatis, qua in sua quavis specie elicitur, remote, vel proxime, hominem disponit ad salutem seu beatitatem æternam; *remote* quidem, si in ratione actus imperantis alios actus proxime meritorios vitæ æternæ disponat; *proxime*, si ipse immediate ratione suæ bonitatis moralis meritum vitæ æternæ contineat. *Opus non salutare* ergo est omnis alius actus voluntatis, etiam utcunque moraliter bonus, qui tamen caret tum sufficiente ratione meriti immediati vitæ æternæ, tum etiam ea sufficiente efficacia in quovis genere aut specie actus imperantis alios actus proxime meritorios illius salutis æternæ, de qua diximus.

* Qui *actum salutarem* dixere illum, qui, eo quod supernaturalis sit, ad salutem æternam supernaturalem disponat; non nisi quæstiones de propositionibus identicis proposuere, cum inquirerent: an ad actum salutarem Gratia supernaturalis necessaria sit. Ad actum enim supernaturalem, id est, ex viribus Gratiæ supernaturalis elicitum, Gratiam supernaturalem requiri, nec vires solius naturæ sufficere, per se ex terminis evidens est. Falluntur illi, qui vulgo dicunt, *actus bonos supernaturales qua tales nobis præcipi a DEO.* Sicut enim supernaturalitas actuum qua talis nullo pacto a nobis, sed a solo DEO, supernaturalem concursum largiente, est; ita frustra nobis illa præciperetur. Nobis itaque revera solum præcipiuntur actus salutares, in sua quique specie cum voluntatis efficacia ad finem immediatum eorum sufficiente eliciendi; qui finis est observatio omnium mandato-

rum DEI: & cum ad tales actus salutares eliciendos non sufficiat facultas naturalis intellectus & voluntatis nostræ, adjuta etiam concursu DEI naturali; idcirco DEUS, qui impossibilia non jubet, liberaliter dat gratias concursus sui supernaturales, & excitantes, & adjuvantes; ut illarum ope & possimus elicere, & actu eliciamus actus salutares præceptos; qui utique tum fiunt supernaturales; sed ratione principii divini, a quo simul existunt; non ratione principii humani. Ex adverso præmissa notione ista actuum salutarium, quam dedimus, recte jam quærimus: an tales actus salutares per vires solius naturæ, & sine auxilio Gratiæ internæ supernaturalis actualis, elicere possimus.

263.

I. *Fidei assensus firmus & universalis de omnibus veritatibus religionis naturalis & supernaturalis, imo etiam de solis dogmatis fundamentalibus* (Eth. christ. univ. §. 522.), *si debita efficacia voluntatis imperetur, est actus salutaris remote disponens ad salutem.* Motiva enim practice sufficientia, firmo assensu credita, suppeditat voluntati ad observanda omnia alia mandata DEI; ita, ut non nisi cum insigni morali difficultate contra motiva illa voluntas libera actiones suas determinet, ac proin morali libertate bene agendi universe polleat (cit §§. 522. 511. 195. 198. 199.). Interim fides sine dilectione immediate salutem non operatur, quod hic suppono.

II. *Spes firma, seu fiducia ac desiderium efficax beatitatis æternæ, itidem est actus salutaris, fidem a priori, seu dispositionem salutarem supponens.* Est enim efficax appetitio finis, appetitionem mediorum, & fugam impedimentorum ejusdem pro sua effi-

efficacia imperans; dependens vero a fide firma tam de possibilitate finis per hæc media, quam de certitudine ipsorum mediorum & impedimentorum.

III. *Actus salutaris proxime disponens ad salutem est actus amoris DEI concupiscentiæ & caritatis, actu sua efficacia imperans observationem omnium mandatorum DEI.* Isti enim conficiunt omne illud *operis* meritum, quod ex parte hominis, suppositis quibuscunque auxiliis suis, DEUS ab eo ad conferendum ei præmium beatitatis æternæ requirere potest. Ergo proxime disponunt ad hoc præmium (præced.). Vide Eth. univ. christ. §. 683.

IV. *Non quilibet actus moraliter bonus, a fide firma universali diversus, nec ab ista pro gradu universalis efficaciæ suæ imperatus, est actus jam vere salutaris*, uti ex. gr. inefficax complacentia de vero bono, aut displicentia de vero malo, fides infirma de dogmatis revelatis, nec universalis, imbelle desiderium salutis æternæ, imo etiam actus certæ virtutis faciliores, ex. gr. eleemosyna tenuis ex pura etiam, sed non nisi ad faciliora opera in particulari imperanda efficaci, caritate theologica, id est, ad imitationem misericordiæ divinæ, a locuplete viro egeno homini impertita, aut aliud opus misericordiæ &c. Omnes enim isti actus, cum vel a motivo mere particulari, aut ex inefficaci desiderio voluntatis ergá substantiam salutis, oriantur, neutiquam in sua specie, proxime, vel remote, cum sufficiente efficacia disponunt ad totam substantiam salutis.

264.

264.

Gratia interna supernaturalis actualis necessaria est ad ipsum initium fidei salutaris; quod sine illa haberi non potest. Enuntiant hoc dogma catholicum contra Pelagianos ac Semipelagianos 1.) Ss. Literae. Legimus enim innumeris locis, ipsam fidem esse donum DEI, & interna DEI illustratione supernaturali nobis persuaderi. *a*) Joan. VI. 29. *Hoc est opus DEI, ut credatis in eum, quem misit ille.* Porro sine fide in Christum nullus christianus credere dogmatis a Christo praedicatis potest. *b*) I. Cor. VII. 25. *Misericordiam consecutus sum, ut sim fidelis.* Et ad Philipp. I. 29. *Vobis donatum est pro Christo, non solum ut credatis in eum, verum etiam ut patiamini pro illo.* Et in priorem quidem locum S. Augustinus intendens observat L. I. de Praedest. Sanct. c. 3. *Non ait* (Apostolus): *quia fidelis eram. Fideli ergo datur quidem* (misericordia haec): *sed data est etiam, ut esset fidelis.* In alterum autem sic commentatur L. cit. c. 2. *Utrumque ostendit DEI donum; quia utrumque dixit esse donatum. Nec ait, ut plenius atque perfectius credatis in eum: sed, ut credatis in eum. Nec se ipsum misericordiam consecutum dixit, ut fidelior, sed ut fidelis esset: quia sciebat, non se initium fidei suae priorem dedisse DEO; & retributum sibi ab illo ejus augmentum, sed ab eo se factum fidelem, a quo & Apostolus factus est.*

* *Respondent* Pelagiani & Semipelagiani. His quidem probari necessitatem gratiae exterioris, revelationis nempe, & praedicationis Evangelii: *quomodo enim credent sine praedicante?* non autem necessitatem internae gratiae. *Respondebit* etiam subtilior Metaphysicus: his aliisve plurimis textibus similibus Scripturae aliud non affirmari, ni-

si fidem, perinde atque omnes alios actus moraliter bonos, DEO ut auctori morali principali adscribendam esse: atqui hoc verum est; etsi DEUS illius auctor sit mere naturalis & per gratias mere naturales, aut mediate tantum supernaturales, ex. gr. per notitiam Evangelii internam revelatione externa & Evangelii prædicatione nobis procuratam sine nova interna immediate supernaturali illustratione; prout ipse demonstravi in Theol. nat. §. 764. *Et vero fatendum est*, complures textus Scripturarum, quos etiam ut decretorios pro dogmate hoc præsente probando variis in scriptis suis affert ipse S. Augustinus, & quibus se ipsum erroris semipelagiani convictum fatetur, stricte inhærendo tenori verborum haud amplius quid probare, quam hoc utrumque modo dictum. Talis est ille I. Corinth. IV. 7. *Quid habes, quod non accepisti? si autem acceperis, quid gloriaris, quasi non acceperis?* Hoc enim etiam de mere naturalibus bonis nostris verum est, quæ universa DEO accepta referre debemus. Talis ille ad Rom. XI. 35. *Quis prior dedit illi, & retribuetur illi? Quoniam ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia.* Hoc item de naturalibus verum est. Talis denique etiam ille textus II. Cor. III. 5.; in quo L. de Prædest. Sanct. c. 2. tantam vim ponit S. Augustinus. *Non sumus sufficientes aliquid cogitare ex nobis, quasi ex nobis; sed sufficientia nostra ex DEO est.* Profecto totus textus verus erit; si sine revelatione externa, & comparata inde Evangelii notitia solum mediate supernaturali, disponente nimirum eam DEO sine novis illustrationibus internis immediate supernaturalibus (253.), solæ vires mere naturales nobis ad moralem potentiam certo cognoscendæ religionis naturalis dogmata scitu necessaria non sufficiant. *Interim nihilominus* illud saltem contra Semipelagianos & Pelagianos rite ex his textibus evincitur, non solum ipsam fidem esse simul, instar doni saltem naturalis, imo mediate supernaturalis (251. not.), a DEO, & simul a liber-

bertate hominis; sed insuper ipsam possibilitatem seu *facultatem credendi non haberi sine dono divino gratuito saltem mediate supernaturali*, nempe notitia dogmatum credendorum per revelationem DEI externam accepta. Male ergo utrique illi sectarii fidem adscripsere soli libero arbitrio naturali, ceu privato auctori. Adhuc pejus iidem negarunt simpliciter, illam esse DEI donum ac gratiam. Quodsi vero semel concessissent, fidem esse simul DEI donum & opus liberi arbitrii, & ad ipsam ejus possibilitatem DEI Gratiam internam saltem *mediate* supernaturalem requiri; etsi a libero arbitrio procedat: quo pacto vel ab initio fidei, vel a ceteris actibus salutaribus præviæ internæ Gratiæ *immediate* supernaturalis necessitatem removere eo solo argumento ipsis decretorio potuissent; quod cum tali necessitate Gratiæ supernaturalis internæ liberum arbitrium in tali actu consistere simul non posset? Quia porro Pelagiani hoc utrumque simul negabant, recte Augustinus illos textus contra eos intorsit. At enim suppetunt Scripturæ textus sat clari, etiam necessitatem immediate supernaturalis Gratiæ internæ, seu illustrationis, evincentes.

Nimirum *c*) Matth. XVI. 17. cum Petrus illud tam præclarum fidei suæ de Christo ceu DEI Filio testimonium ederet; statim subjungebat Christus non potuisse hanc fidem in Petro existere ex solo auditu externo Evangelii. *Beatus es Simon Bar Jona: quia caro & sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui est in cœlis.* *d*) Sic Psalmista fatetur externam legis prædicationem sibi non sufficere, sed orat Psalm. CXVIII. 18. *Revela oculos meos, & considerabo mirabilia de lege tua.* *e*) Apostolus ad Ephes. I. 16. precatur Ephesiis: *Non cesso ... memoriam vestri faciens in orationibus*

bus meis; ut DEUS det vobis ſpiritum ſapientiæ & revelationis in agnitione ejus, illuminatos oculos cordis veſtri, ut ſciatis, quæ ſit ſpes vocationis ejus. Qui textus non ſolum de augmento fidei, ſed de ipſa prima agnitione Chriſti neceſſitatem interne revelantis ſpiritus DEI ènuntiat. Græcus enim originalis textus ſic habet: *Det vobis ſpiritum revelantem myſteria, ut ipſum cognoſcatis. f)* Hinc eſt, quod Moſes Deut. XXIX, 4. exprobret Iſraelitis, quod viſis licet externe *ſignis & portentis ingentibus in Ægypto* contra Pharaonem a DEO patratis, tamen (ipſorum videlicet pertinacia obſiſtente) *non dederit* eis *Dominus cor intelligens, & oculos videntes, & aures, quæ poſſent audire usque in præſentem diem.* Ex adverſo Ezech. XXXVI. 26. promittit DEUS Judæis: *Dabo vobis cor novum, & ſpiritum novum ponam in medio veſtri ... Spiritum meum ponam in medio veſtri. g)* Hoc ipſo ſenſu Act. XVI. 14., Paulo prædicante Evangelium pluribus mulieribus collectis, dicitur DEUS ſolius *Lydiæ purpurariæ aperuiſſe cor intendere his, quæ a Paulo dicebantur. h)* Hoc denique ſenſu Apoſtolus ait ad Theſſ. I. 5. *Evangelium noſtrum non fuit ad vos in ſermone, ſed & in virtute, & Spiritu ſancto.* Et I. ad Cor. III. 7. *neque qui plantat, eſt aliquid; neque qui rigat; ſed qui incrementum dat, DEUS.*

* * His *Scripturæ* textibus *opponunt* Semipelagiani æque ac Pelagiani *textus* alios complures, quibus declaratur in negotio ſalutis voluntatem hominis præire gratiæ DEI, & hanc intuitu præcedentis alicujus boni operis naturalis a DEO præparari & conferri. Pſalm. IX. 11. dicitur: *Non dereliquiſti quærentes te, Domine.* Prov. XVI. 1. *Hominis eſt præparare animam, & Domini gubernare linguam.* Zach. I. 3. *Convertimini ad me, & convertar ad vos.* Matth. XXV. 15. *Unicuique* (DEUS) *talenta*

lenta dedit secundum propriam virtutem. Luc. XI. 9. *Petite, & dabitur vobis: quærite, & invenietis: pulsate, & aperietur vobis.* Rom. VII. 18. *Velle adjacet mihi: perficere autem bonum non invenio.* *Resp.* dist. Hæc omnia sunt effectus hominis & liberi arbitrii, nulla jam excitante & adjuvante Gratia præventi, *nego*: jam præventi aliqua, cui si cooperetur, DEUS addit alteram illam novam, quæ his in locis bene utentibus prima gratia porro promittitur; *concedo.* Nimirum in his locis & liberum arbitrium declaratur, & cooperationis ejus cum primis gratiis necessitas commendatur, ut novæ ulteriores, porro ad salutem necessariæ, locum habeant. Sed ne illud quidem sequitur, tales actus primos utcunque bonos liberi arbitrii, ope primæ gratiæ conceptos, semper habere rationem veri meriti, præsertim de condigno, respectu ulterioris Gratiæ internæ supernaturalis: subinde enim ex natura sua (uti oratio adhuc a parum efficaci desiderio profecta) vel ex imperfectione consensus ejusque efficaciæ, aut etiam facilitatis specificæ, fieri potest, ut vix meriti alicujus congrui, ac potius caussæ removentis impedimentum obstinatæ contrariæ voluntatis, habere possint, quæ obicem positivum novæ gratiæ opponeret. Hoc sensu idem Psalmista dicit Ps. LXXXIV. 5. *Converte nos DEUS salutaris noster*: & Ps. LXXIX. 20. *DEUS virtutum converte nos.* Nimirum etiam primi conatus conversionis, oratio, qua petimus gratiam, non sine præcedentis gratiæ auxilio fiunt, eoque interno actuali. Unde Apostolus ad Rom. VIII. 26. ait: *Spiritus enim adjuvat infirmitatem nostram. Nam quid oremus, sicut oportet, nescimus: sed ipse spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus.* Etiam bonam voluntatem ope DEI gratiæ concipimus; sed ut exequamur, nova gratia indigemus; *DEUS enim in nobis operatur velle & perficere*

re pro bona voluntate. Philipp. II. 13. *Talenta* denique, id eſt, Gratias gratis datas, cujusque diſpoſitioni & aptitudini naturali attemperat; in qua meritum non habet locum, nec liberum arbitrium.

* * * Porro eadem eſt reſponſio & ratio explicandi circa *exempla* complura *S. Scripturæ*, in quibus videtur innui, initium converſionis factum eſſe a ſolo libero arbitrio, & merito naturali. *Zachæi* deſiderium videndi Chriſtum, *Latronis* in cruce oratio, *Cornelii* Centurionis, qui jam diu inter Judæos religioſe & pie vixerat, orationes & eleemoſynæ, fides denique iſtorum jam inchoata, non a ſolo libero arbitrio erant, ſed a Gratia jam præveniente & adjuvante primam liberi arbitrii bonam voluntatem. Porro hæc ipſiſſima ſunt reſponſa ad hos textus & exempla Scripturarum data a S. Auguſtino Semipelagianis in L. II. ad Bonif. c. 8. & 9. in L. de Grat. & lib. arbit. c. 5. in L. de Prædeſt. Sanct. c. 7. a Concilio Arauſicano II. Can. 25. & Tridentino Seſſ. VI. cap. 5.: quæ infra allegabimus.

2.) SS. Patres idem dogma catholicum docuere ante & poſt exortum hæreſis Pelagianæ & Semipelagianæ. *S. Auguſtinus* L. de dono perſev. c. 19. citat ex Latinis *S. Cyprianum* L. 3. ad Quirinum c. 4. ſcribentem: *In nullo gloriandum; quando noſtrum nihil eſt; S. Ambroſium* de fuga ſeculi c. 1. *Non eſt in poteſtate noſtra cor noſtrum & noſtræ cogitationes;* ex Græcis *S. Gregorium Nazian.* orat. 44. in Pentecoſten: *Unius Deitatis, quæſo vos, confitemini Trinitatem: ſi vero aliter vultis, dicite unius eſſe naturæ: & Deus exorabitur vocem dari vobis a Spiritu ſancto*, id eſt, ut vocem vobis a Spiritu ſancto dari decernat, qua, quod creditis, confiteri poſſitis. *Dabit enim, certus ſum:*

qui dedit, quod primum est, dabit & quod secundum: qui dedit credere, dabit & confiteri. Ex Græcis (quia istorum fidem Jansenius in suspicionem traxit) porro citari possunt *Justinus M.* in Apol. II. scribens: *Ipse* (Christus) *persuadet, atque ad fidem nos adducit*: *S. Basilius* in Psalm. CXV. ait: *Fides superior rationalibus methodis S. Spiritus operationibus in nobis efficitur*: *S. Chrysostomus* Hom. IV. in cap. 2. ad Ephes. *Non enim fides ex nobis est; nisi enim venisset; nisi vocasset; quomodo potuissemus credere? Quare nec fides donum est nostrum, sed DEI. Hoc ipsum est DEI donum, ne gloriemur, ut nos gratos efficiat in gratiam.* Accedit demum ipse *S. Augustinus* cit. Lib. c. 21. concludens: ***Et initium fidei, & in ea usque ad finem perseverantiam DEI dona esse defendimus.***

* * * * Ceterum duo hic adnoto: 1.) SS. Patres ut plurimum ante S. Augustinum contentos fuisse docere, fidem & omnia alia bona opera esse veras gratias & dona DEI, prævenientis liberum arbitrium, & moventis ad eadem instar auctoris principalis: An vero id faceret per Gratias solum *externas immediate*, & *internas mediate supernaturales* (253.); an etiam per illustrationes *internas immediate supernaturales* (254.); non explicabant: quia ante exortam Pelagii hæresin fere solum incidenter, raro autem ex instituto, hanc quæstionem tractabant. 2.) Non raro iidem SS. Patres Augustino antiquiores, imitantes modum loquendi Scripturæ supra memoratum hic nro 1. not. 2. & 3., pariter docebant, quosdam actus liberi arbitrii præcedere subin debere, ut DEUS ulteriores gratias ad actus salutares alios, propius disponentes ad salutem, largiatur: per quod tamen, etsi tunc nec affirmarent, minime etiam negabant, illos ipsos actus prævios, quibus homo bene utens libero arbitrio ad ulteriores sese gratias præpararet, alia priore præveniente & adjuvante Gra-

Gratia DEI opus habere, ut modo quodam vere salutari fierent. Quod autem non affirmate istud adderent, id teste ipso Augustino in L. de Prædest. Sanct. cap. 14. inde erat; *quod, priusquam ista hæresis* (Pelagianorum & Semipelagianorum) *oriretur, non habuerunt necessitatem in hac difficili ad solvendum quæstione versari . . . Unde factum esse, ut, de Gratia DEI quid sentirent, breviter solum quibusdam scriptorum suorum locis & transeunter attingerent.* Istud inprimis valet de *S. Chrysostomo,* qui Hom. XII. in Ep. ad Hebr. initio simpliciter pronuntiat, *oportere nos primum bona eligere, & tunc DEUM afferre, quæ sua sunt. Non prævenire DEUM nostras voluntates, ne perdat nostrum liberum arbitrium . . . Nostrum quidem esse præeligere, & velle, DEI autem esse perficere, & ad finem deducere.* Verum intelligi potest de necessitate cooperandi parvis gratiis per liberum arbitrium, ut DEUS det majores, quæ sufficiant ad ipsa opera salutaria proxime disponentia ad salutem: item quod non præveniat nostras voluntates Gratia necessitante, *ne perdat liberum arbitrium nostrum.* Certe prioribus hæc continue subjungit S. Doctor loc. cit.: *Ne tuum esse existimes, quod recte gestum est . . . Frustra currimus, si totum esse nostrum existimamus; si non plus DEO tribuimus.* Nimirum Patres isti contra Marcionitas & Manichæos potius liberum arbitrium vindicare intenti erant, atque ideo de Gratiæ divinæ juribus securi loquebantur.

3.) Concilia Ecclesiæ catholicæ idem dogma solenniter definierunt, nempe Concilium Arausican. II. an. 529. Can. 5. *Siquis sicut augmentum, ita etiam initium fidei, ipsumque credulitatis affectum, quo in eum credimus, qui justificat impium, ... non per donum, id est, per inspirationem Spiritus sancti, ... sed naturaliter nobis inesse dicit, Apostoli-*

ſtolicis dogmatibus adverſarius approbatur. Et Can. 7. *Siquis per naturæ vigorem ... evangelicæ prædicationi conſentiri poſſe confirmat, absque illuminatione & inſpiratione Spiritus ſancti, hæretico fallitur ſpiritu.* Can. 25. *Hoc etiam ſalubriter profitemur, quod in omni opere bono non nos incipimus, & poſtea per DEI miſericordiam adjuvamur; ſed ipſe nobis, nullis præcedentibus bonis meritis, & fidem & amorem ſui prius inſpirat .... Unde manifeſtiſſime credendum eſt, quod & illius latronis, quem Dominus ad paradiſi patriam revocavit; & Cornelii Centurionis, ad quem Angelus Domini miſſus eſt; & Zachæi, ... illa tam admirabilis fides non fuit de natura, ſed divinæ largitatis donum.* Can. 3. *Siquis ad invocationem humanam gratiam DEI dicit poſſe conferri, non autem ipſam gratiam facere, ut invocetur a nobis, contradicit Iſaiæ Prophetæ, vel Apoſtolo.* Tridentinum Seſſ. VI. Can. 3. definiit: *Siquis dixerit, hominem ſine S. Spiritus inſpiratione atque auxilio credere, ſperare, diligere, aut pœnitere poſſe, ſicut oportet, ut ei juſtificationis gratia conferatur, anathema ſit.*

4.) Ratio ipſa dogma iſtud confirmat. Et inprimis Gratiam ſaltem externam ſupernaturalem divinæ revelationis neceſſariam eſſe ad fidem de dogmatis fundamentalibus etiam naturalis religionis, jam probatum eſt §. 260.; ex quo ſequitur ſaltem *Gratias mediate ſupernaturales* cognitionis certæ internæ, ex revelatione externa neceſſitate phyſica exorientes, itidem neceſſarias eſſe ad fidem *ſalutarem*, id eſt, cum debita firmitate & univerſalitate aſſenſus, omnibus a DEO revelatis dogmatis præſtandi, eliciendam (261. 263. I. IV.). Atque ex hoc quidem jam evidenter refutatur illa pars erroris ſemipelagiani, qua tenebant, initium fidei ſalutaris non eſſe a DEO, ſed a ſolo libere

bero arbitrio: cum potius DEUS, haud dubie ad hanc ipfam fidem obtinendam certo fapientiæ fuæ confilio ordinet ipfam revelationem externam, curetque, ut ejus certa notitia ad hominem quemque in particulari cum omnibus motivis credibilitatis ceu Gratia excitans perveniat, & his omnibus immediate cooperando, evidenter ut auctor principalis in fpecie & individuo determinet actum fidei (Theol. nat. §. 764.). 2.) Verum *etiam internæ illuftrationis immediate fupernaturalis gratiam ad credendum fide falutari moraliter nobis effe neceffariam*, itidem jam oftendi in Eth. univ. chrift. §. 526. ex eo; quia, ut fides fit falutaris, effe debet firmus & univerfalis affenfus, præftitus omnibus dogmatis a DEO revelatione externa per Chriftum revelatis; qui per fe in ratione actus imperantis virtute & efficacia fufficiat ad imperandum tam efficax defiderium falutis ope Gratiæ Chrifti obtinendæ, ut hoc fe extendat ad imperandum propofitum generale & firmum fervandi omnes leges divinas faltem graviter obligantes, utcunque aufteras & adverfas ftimulis carnis & inferioris appetitus; cujus rebellio non folum his legibus divinis fe opponit; fed vel maxime ab ipfo affenfu fidei, ceu legum illarum prima promulgatione recipienda abhorret; attentionem a motivis credibilitatis avocat, & ad apparentes myfteriorum revelatorum & revelationis ipfius repugnantias transfert, atque fic vim motivorum illorum, nifi Gratia DEI interne illuftrante fulciatur, elidit. 3.) Inde eft, quod exemplum Ecclefiæ nos identidem hortetur ad hoc lumen fidei a DEO poft omnes jam factas dogmatum chriftianorum revelationes fummis precibus petendum; tum pro nobis ipfis, ut in fide femel jam accepta firmi perfeveremus; tum pro aliis infidelibus, gentilibus, Judæis, & hæreticis; *ut DEUS adaperiat illis aures, ut fidem largiatur, ut illuminet &c.*

***** Sed *pugnabant* viciſſim *Semipelagiani contra hoc dogma* ſequentibus argumentis item *ex ratione* petitis. 1.) Religio chriſtiana poſitis ſemel motivis credibilitatis externæ revelationis eſt evidenter credibilis. Ergo ad credendum non eſt opus alia Gratia interna immediate ſupernaturali. 2.) Hæretici actu credunt dogmata ea chriſtiana, quibus hæreſis eorum non adverſatur. Atqui iſtis Gratia interna fidei non confertur; ſecus hæreſin deponerent. 3.) Si ipſum fidei initium a DEO eſt, & DEI donum; quo pacto libertas ſalvabitur? 4.) Et vero ſi DEI donum eſt ipſa etiam fides, nullo licet merito humano præcedente conceſſum a ſolo DEO; cur non omnibus hominibus perinde conceditur; cum, ſi meritum non prærequiratur, omnes ratione naturæ ſint æque digni, & ratione originalis peccati æque indigni? Plane *DEUS acceptor* ſit *perſonarum*, pro arbitratu largiendo hoc donum uni & non alteri, ſine ſufficiente ratione faciens diſcrimen in re tanti momenti. 5.) Si DEI donum eſt fides ipſa æque ac cetera opera ſalutaria, ita, ut ſine hoc DEI dono nos credere & quodcunque opus ſalutare efficere non poſſimus; quare nos corripiunt ſuperiores noſtri, cum vel non credimus, vel non bene operamur. Orent illi ſolummodo DEUM, ut dona ſua nobis item, ut aliis, communicet; nobis autem non exprobrent, quod non habeamus fidem & opera bona, quæ DEUS nobis non donavit, & quæ niſi DEI dono habere non poſſumus. Ita Monachi illi Adrumetini S. Auguſtini ſcriptis de Gratia & libero arbitrio ogganiebant. Verum faciles ſunt *reſponſiones* ad iſta argumenta. *Ad 1mum)* Religio chriſtiana eſt evidenter credibilis, id eſt, evidens fieri poteſt mature & ſincero animo perpendenti motiva & argumenta de facta reipſa DEI revelatione circa illam, quod prudenter agat, ſi dogmata illa propter DEI revelantis auctoritatem, quam illis certo applicatam eſſe cognoſcit, credat; & quod actu obligetur ad ea fide firma & univerſali ſic credenda. Vis enim iſta certos nos effi-

cien-

ciendi de exiftentia divinæ revelationis, ac proinde convincendi nos tum de prudentia affenfus talis fidei, tum de noftra ad illum obligatione, per fe ineft motivis illis; fi rite & fincera mente expendantur. At enim quo minus hoc fiat, nifi lux interna etiam non volentibus nobis eorum vim nobis applicet, ac veluti inculcet; obftat profecto naturalis pravæ concupifcentiæ horror, fugientis a veritate fibi cunctisque motibus fuis e diametro adverfante; cujus adverfantes ftimuli, fi nulla gratiæ pia motione compefcantur, fumme difficile eft, ut vel tempus nobis fumamus tam feriæ & profundæ reflexioni & examini faciendo; vel ut fatis firmo faltem, efficaci, & univerfali affenfu veritates tam ingratas recipiamus, prout ad fidem falutarem eft opus (263. I. & IV.). Favent illi carnis rebellioni quoque non nullorum dogmatum revelatorum, etiam ad religionem naturalem pertinentium, apparentes repugnantiæ, & fophismata ab incredulis paffim excogitata; ad quorum vim explicandam & late amplificandam ipfa rebellis caro attentionem mire acuit, & omne acumen applicat. *Ad* 2.) Hæretici formales, id eft, qui non ignorantia invincibili, fed propria obftinatione errant, hoc ipfo nec ea dogmata, quæ actu recipiunt, credunt fide falutari, id eft, firma & univerfali ex vi fummæ reverentiæ erga auctoritatem DEI revelantis (iftud enim fi effet, fine dubio etiam cetera dogmata, quæ in præfens obftinate refpuunt, pari firmitate crederent; cum de eorum revelatione divina per hypothefin, quod formales hæretici fint, & proin cognitæ veritati adverfentur, ex æquo fint certi), fed credunt ex parte quidem propter Dei revelationem, ceu motivum tamen non principale, fed folummodo fecundarium; reipfa autem propter propriæ rationis confenfum de dogmatis, quæ credunt, cum divina revelatione, ceu propter motivum principale. *Ad* 3.) Etfi ad fidei ipfum initium Gratia illuminans, atque excitans, a priori requiratur; tamen cum idcirco, quod DEI ejusque gratiæ effectus fit fides, non

ſequatur, quod ſolius DEI effectus, aut quod effectus Gratiæ DEI a priori neceſſarius ſit ipſe aſſenſus fidei; cum potius ſit effectus & DEI & hominis, libere DEO & Gratiæ DEI cooperantis; evidens profecto eſt, quod præſente licet una ex duabus concauſſis partialibus, tamen effectus non conſequi, vel liber manere poſſit; ſi altera cauſſa ad cooperandum præſentia prioris nullo pacto neceſſitetur. *Ad* 4.) Vel loquuntur de *Gratia ſufficiente ad credendum?* & hanc ſuis temporibus tribui a DEO omnibus adultis ex æquo, infra ſuo loco oſtendemus; ac proin in iſtius diſtributione perſonarum acceptor DEUS non eſt. Vel ſermo ipſis eſt de *Gratia efficaci?* & hanc impediri ab ipſa cujuslibet libertate poſſe, & actu impediri, ſicuti omnem prædefinitionem meritorum bonorumque operum, jam oſtendi in Tract. de DEO §§. 70. 71., & præcipue §. 87. not. 2. Præterea non ſubtrahi efficaces quascunque gratias a DEO ex defectu aliquo benevolæ voluntatis, nec dari cum acceptatione perſonarum, id eſt, ex *privato* mere arbitrario ad ſalutem unius hominis præ altero *affectu*, ſed *ex rationibus* & conſiliis ſapientiæ & bonitatis *univerſalibus*, nempe unice ex ſtudio boni communis maximi, ac proin ſalva ſemper perfectiſſima juſtitia DEI; ibidem explicavi §§. 74. 93. 94. 121. *Ad* 5.) Reſponſio jam patet ex modo dictis. Cum enim DEUS Gratia ſufficiente nunquam nobis, & nulli noſtrum deſit; ſi ea efficax non eſt; nos id abuſu libertatis impedimus: ac proinde ſicut idcirco demerito morali rei evadimus in foro ac judicio DEI; ſic recte corripimur a ſuperioribus noſtris, & admonemur, ut ne alias porro nobis a DEO largiendas gratias ſimiliter fruſtremur, &, quo minus efficaces ſint, talesque futuræ prævideantur a DEO, pariter impediamus. Semipelagiani non niſi ex errore talia objicere S. Auguſtini doctrinæ poterant, quo exiſtimabant, ab iſto doceri, fidem æque

ac

ac alia opera salutaria, eo quod donum Gratiæ DEI dicerentur, a sola DEI Gratia præveniente in nobis certa cum necessitate a priori determinari. Hinc inferebant, ad summum hoc concedi contra Pelagianos dimicanti Augustino posse de operibus salutaribus, quæ consequuntur fidem; & quæ proinde non nisi mediate libera esse, nempe per ipsam fidem, cujus merito obtinerentur a DEO, tacite confitebantur. Quodsi vero similis doni divini ratio etiam in ipsa fide admitteretur, sublatam iri omnem & fidei & operum salutarium ceterorum libertatem æque ac meritum, atque a solo DEO cum personarum acceptione pro lubitu prædeterminandos omnes actus bonos, ipsamque salutem. Inde factum denique, ut prædestinatianorum errorem Augustino affingerent. Valent ergo tria hæc Semipelagianorum ultima argumenta adversus omnes eos, qui Augustino Gratiam a priori naturæ complete determinantem, & proinde necessitantem, affingunt; sed non contra Augustinum, qui talem Gratiam nunquam asserere in mentem induxit; quod infra docebimus. Certe licet S. Augustinus Epist. 194. ad Sixtum n. 9. *fidem gratuitum esse DEI donum* plurimis demonstret, & Vitalem Carthaginensem contra sententiem corripiat Epist. 217. n. 29.: tamen in eadem Epistola ad Vitalem n. 16. ultro fatetur: *Scimus, eos, qui corde proprio credunt in Dominum, sua id facere voluntate ac libero arbitrio.*

265.

Ad omne opus salutare rite concipiendum & perficiendum cum potentia morali necessaria nobis est Gratia præveniens supernaturalis. Dogma hoc quoque catholicum contra Pelagianos probatur 1.) ex SS. SCRIPTURIS. *a*) Joan. XV. 4. *Sicut palmes non*

non potest ferre fructum a semetipso, nisi manserit in vite: sic nec vos; nisi in me manseritis. Ego sum vitis; vos palmites: qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum: QUIA SINE ME NIHIL POTESTIS FACERE. *b*) I. Cor. XII. 3. *Nemo potest dicere, Dominus JESUS, nisi in Spiritu sancto:* vel, ut græcus textus habet: *Nemo potest JESU Christo tribuere nomen Domini nisi per Spiritum sanctum.* *c*) Joan. VI. 44. *Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit ipsum.* *d*) II. Cor. III. 5. *Non sufficientes sumus cogitare aliquid a nobis quasi ex nobis: sed sufficientia nostra ex DEO est.* *e*) Ad Philipp. I. 6. *Qui cœpit in vobis opus bonum, perficiet usque in diem JESU Christi.* Et ibidem cap. II. v. 13. *DEUS est, qui operatur in nobis & velle & perficere pro bona voluntate.* Adde textus jam allatos §. 264. not. 1. *Quid habes, quod non accepisti? &c.*

* Circa quos textus rursus animadverto, solos primos tres probare influxum *supernaturalem* DEI per Gratiam prævenientem in omnes actus salutares; reliquos id saltem contra Pelagianos certissime evincere, non solum ipsam *possibilitatem* bonæ voluntatis & omnis boni operis esse in nobis a Gratia DEI; sed & ipsum *omne opus* salutare esse DEI, ceu caussæ principalis, effectum & donum: quod posterius inprimis male negarunt Pelagiani. At enim Ecclesia cum S. Augustino sentiens, hos aliosve Scripturæ textus in Conciliis interpretata est de necessitate Gratiæ internæ prævenientis immediate supernaturalis. Unde dogma catholicum ulterius

2.) *Probatur* EX SS. PATRIBUS, & præcipue ex *S. Augustino*, qui *hujus* præcipue *Gratiæ con-*

confessionem a Pelagianis constanter exigebat, *qua caritas DEI,* inquit L. de Gratia Christi cap. 26. n. 27., *diffunditur in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.* Hanc *sic confiteatur, qui vult veraciter confiteri, ut omnino nihil boni sine illa, quod ad pietatem pertinet veramque justitiam, fieri posse non dubitet. Non, quomodo iste* (Pelagius) *qui dicit, propterea dari gratiam, ut, quod a DEO præcipitur, facilius impleatur. Tolle facilius,* pergit S. Doctor cap. 29. n. 30. *& non solum plenus, verum etiam sanus est sensus . . . . Cum autem facilius additur; adimpletio boni operis etiam sine DEI gratia posse fieri, tacita significatione suggeritur. Quem sensum redarguit, qui dicit: sine me nihil potestis facere.* Et L. de Gratia & lib. arbitr. cap. 17. n. 3. *Sine illo vel operante, ut velimus, vel cooperante, cum volumus, ad bona pietatis opera nihil valemus.* Denique & naturam Gratiæ internæ necessariæ S. Doctor clare exprimit cit. Lib. de Gratia Christi cap. 24. dicens: *Non lege atque doctrina insonante forinsecus, sed interna, atque occulta, mirabili, atque ineffabili potestate operatur in cordibus hominum, non solum veras revelationes, sed etiam bonas voluntates.*

3.) *Probatur* EX CONCILIIS, nimirum *a*) ex *Diospolitano*, quod an. 415. hunc septimum Pelagii articulum damnavit: *Gratia DEI atque adjutorium non ad singulos actus datur; sed de libero est arbitrio, vel in lege atque doctrina.* *b*) Ex *Carthaginensi III.* cap. 5. *Placuit, ut, quicunque dixerit, ideo nobis gratiam justificationis dari, ut, quod facere per liberum jubemur arbitrium, facilius possimus implere per gratiam; tanquam etiamsi gratia non daretur, non quidem facile, sed tamen possimus etiam sine illa implere divina mandata; anathema sit.* *c*) Ex *Arausicano II.* Can. 7. *Siquis per naturæ*

vigo-

vigorem boni aliquid, quod ad salutem pertinet vitæ æternæ, cogitare, ut expedit, aut eligere . . . posse confirmat . . . absque illuminatione & inspiratione Spiritus sancti; hæretico fallitur spiritu. Et Can. 9. *Quoties bona agimus, DEUS in nobis atque nobiscum, ut operemur, operatur.* d) Denique ex *Tridentini* Seff. VI. Can. 3. jam supra §. 264. n. 3. citato.

4.) *Probatur* RATIONE. Nimirum non solum Gratia internæ illustrationis piæque motionis necessaria est ad initium fidei; id quod supra ostensum; sed etiam cum de quovis alio opere salutari suscipiendo agitur, ut ne ob ejus arduitatem fides ipsa jam semel concepta deficiat, sed ut potius efficaci imperio imperet tale opus, excitari eadem de novo debet ejusdemque lumine supernaturali & edoceri intellectus de præstantia veri boni appetendi, vel de magnitudine veri mali aversandi, & moveri voluntas ad illud actu efficaciter appetendum, istudque aversandum, & quidem illustrationis motionisque vi & momento relate ad vim stimulorum repugnantis concupiscentiæ satis valida & proportionata. Atqui non fit hoc nec solo acumine rationis naturalis, nec sola prædicatione externa Evangelii, vel propositione mandatorum DEI; quippe a quibus attentio hominis nimio pondere appetitus inferioris, a vero bono ob arduitatem abhorrentis, & inclinantis semper ad bonum mere apparens, facillime avocatur, atque distrahitur. Opus ergo est identidem novis internæ divinæ vocis admonitionibus & lucis supernæ splendore, mentis vel invitæ oculum ad veri boni considerationem seriam efficacemque appetitum rapientis; præsertim cum in ipsis individuis adjunctis actu obligantium mandatorum DEI ipsæ difficultates & repugnantiæ car-

nis

nis primum vivaciore ſtimulo ſeſe iſtorum ſalutari obſervantiæ opponant.

* * Qui *ratione* hoc dogma probaturi id ſolum allegant, quod actus ſalutares debeant eſſe *ſupernaturales*, inverſo ordine & cum petitione principii denuo incedunt. Certe nuſquam in Scripturis, Patribus, aut Conciliis extat veſtigium legis divinæ nobis actus ſupernaturales præcipientis: ſed unice in his omnibus neceſſitas concurſus ſupernaturalis principii ex eo aſſeritur, quod vires naturales ad actus, qui ſalutis obtinendæ & promerendæ cauſſa ſimpliciter præcepti ſunt, rite & cum debita efficacia voluntatis eliciendos & exequendos, moraliter non ſufficiant: ex quo primum conſequitur, actus rite meritorios ſalutis non niſi ſupernaturales eſſe poſſe.

* * * Ceterum objectiones Pelagianorum fere erant eædem, quas ex ore Semipelagianorum §. præc. not. 6. a nro 3. ſeqq. propoſui.

266.

I. *DEUS ergo principalis cauſſa & moralis auctor omnium ſalutarium operum & ipſius fidei eſt, per Gratiam internam ſupernaturalem nobis ſuadens, vel imperans eadem, ac denique ſi ejus ſuaſioni, vel imperio obtemperemus, etiam influens in ea, eaque nobiscum efficiens.* Per lumen enim tum naturale, tum ſupernaturale, hoc ipſum nobis intimatur, quod DEUS velit, id eſt, ſuadeat, vel imperet tale opus; ejusque luminis DEUS auctor verumque principium eſt, cauſſaque prima movens ad ope-

operandum caussam secundam, id est, liberam voluntatem humanam; ac proinde instar consiliarii invitantis, vel præceptoris se habet reipsa; etsi non discernatur directe; modo naturali, an supernaturali, id faciat.

II. *Homo recipiens Gratiam supernaturalem, illustrantem & moventem, se habet instar instrumenti, seu caussæ instrumentalis, sed liberæ, in opere salutari eliciendo; quæ impulsum caussæ principalis recipit quidem non libere, attamen eidem convenienter operari, aut resistere, pro libitu potest* perinde atque alius quisque subditus, aut famulus, qui consilium, vel imperium, superioris, aut heri, aut amici, aure excepit.

III. *DEI Gratia illustrante interius & movente ad actus salutares eliciendos passim etiam homines justi ac probi opus habent; utcunque in virtutibus & bonis acquisitis habitibus sint provecti.* Nam ex una parte sola Gratia habitualis (246.), si ejus virtute nullum auxilium actuale conferretur, ceu omnis influxus in ratione principii expers, nihil facilitaret actus salutares, nec facultatem moralem eos eliciendi ullo pacto promoveret: ex altera parte habitus virtutum, etiam jam prævia exercitatione quantacunque acquisiti, fragilitatem ac torporem naturæ humanæ innatum nunquam ita consanant, ut non identidem illustratione & inspiratione divina magnopere indigeat, ne a fervore incepto deficiat, & in teporem naturalem declinet denuo, atque deficiat. Istud quidem justis vereque probis, modeste semper idcirco de se ipsis sentientibus, experientia intima magis est notum; quam ut superbis, & inexpertis in solida virtute, satis distincte probari ex ratione, vel experi-

perimento, possit. Interim satis patet ex SS. Scripturæ textibus supra citatis; in quibus nihil boni salutaris, non solum a' peccatoribus, sed etiam universe a quibuscunque discipulis suis, sine gratiæ suæ influxu patrari posse, Christus ipse & Apostolus, tam graphice asseruere. Recte nimirum *S. Augustinus* L. de Natura & Gratia cap. 26. ait: *Sicut oculus corporis etiam plenissime sanus, nisi candore lucis adjutus, non potest cernere: sic homo etiam perfectissime justificatus, nisi æterna luce justitiæ divinæ adjuvetur, recte vivere non potest.*

ARTICULUS III.

QUID POSSIT, ET QUID NON POSSIT HOMO PER SOLAS VIRES NATURÆ, SINE GRATIA SUPERNATURALI INTERNA ACTUALI PRÆVENIENTE, IN ORDINE AD SALUTEM ÆTERNAM.

267.

Potest homo per solas vires sensus communis naturæ cum certitudine intelligere aliquas veritates, seu regulas, speculativas, & practicas, ad summam religionis pertinentes (Demonstr. evang. §§. 25. 26.); ex. gr existere DEUM, esse omniscium, sapientem, bonum, & justum, mundi auctorem & gubernatorem providum, summe veracem in suis revelationibus, boni moralis liberalissimum in altera quadam futura vita remuneratorem, & vindicem mali &c., item velle DEUM, ut neminem lædamus, sed homines nobis similes amemus &c. Sine his enim præviis notitiis naturalibus fides revelationi divinæ præstanda locum habere simplici-

pliciter non posset (Loc. theol. §. 5. IV.); & ex altera parte notitiæ istæ ad prima facillimaque principia & immediatas conclusiones pertinent; quæ tam intellectu difficilia non sunt, ut ratio naturalis etiam ex confusis notionibus eadem morali potentia, aut sine magna difficultate eruere sic non possit, ut de certitudine illorum *simpliciter* convincatur. Patent ista ex dictis in Demonst. evang. §. 39. de ratione certi criterii veritatis sensui communi naturæ simpliciter competentis.

* Certe probari non potest, etiam ad istas veritates cognoscendas simpliciter cum certitudine saltem respectiva, ex. gr. vel ex institutione prævia parentum, vel etiam ab adultis ex propria meditatione, moraliter necessariam esse illustrationem internam supernaturalem, luce sua infusa illustrantem notiones confusas sensu communi naturæ formatas & primitus acceptas.

Adde, a SS. Literis id ipsum confirmari. Sap. XIII. 5. dicitur: *A magnitudine speciei & creaturæ cognoscibiliter poterit creator horum videri.* Rom. I. 18. Apostolus sic docet: *Revelatur ira DEI de cœlo super omnem impietatem & injustitiam hominum, qui veritatem DEI in injustitia detinent: quia, quod notum est DEI, manifestum est illis. DEUS enim illis manifestavit* (non præcise luce illustrationis supernaturalis, sed lumine naturalis rationis). *Invisibilia enim ipsius a creatura mundi* PER EA, QUAE FACTA SUNT, INTELLECTA CONSPICIUNTUR; *sempiterna quoque ejus virtus & divinitas; ita, ut sint inexcusabiles: quia, cum cognovissent DEUM, non sicut DEUM glorificaverunt.* Et cap. II. v. 14. & 16.: *Gentes, quæ legem non*

non habent (revelatam), *naturaliter ea, quæ legis ſunt, faciunt... Ejusmodi legem non habentes, ipſi ſibi ſunt lex; qui oſtendunt opus legis ſcriptum in cordibus ſuis.* Ubi quidem Apoſtolum loqui de gentibus in gentilismo viventibus, eumque verum eſſe Apoſtoli ſenſum, jam oſtendi in Eth. univ. chriſt. §. 391.

Conſentit his *S. Auguſtinus* in Enarrat. in Pſalm. LVII. n. 1. & *S. Proſper* ejus diſcipulus in Carm. de Provid. pag. 801. n. 419. apud Tournely de Gratia q. 4. art. 1. concluſ. 1.

268.

Ad ipſa tamen dogmata fundamentalia religionis naturalis de æternitate præmiorum & pœnarum alterius vitæ &c. cum ſatis firma perſuaſione acceptanda, & eo amplius ad firma & ſalutari fide credenda altiora quævis myſteria religionis quoad ſubſtantiam ſupernaturalis, nobis opus eſt aliqua revelatione divina vel immediate interna, vel externa; & in caſu acceptæ ſolum externæ revelationis inſuper nobis opus eſt Gratia interna actuali immediate ſupernaturali. Primum patet ex dictis in Demonſt. evang. §§. 48. 72. ſeqq.: alterum ex dictis hic contra Semipelagianos §. 264. Vide etiam dicta a me in Eth. univ. chriſt. §§. 524. 526.

269.

Poteſt homo ſine omni Gratia ſupernaturali, externa, vel interna, ſive gentilis ſit, ſive Chriſtianus, ponere opus in individuo phyſice moraliter bonum, & theologice formaliter indifferens. Oſtendi

 hoc

hoc in Eth. univ. christ. §§. 362. 363.: ubi simul ostendi §§. 374. 382. 383., nulla lege naturali divina nos obligari ad actiones omnes morales intentione seu actuali, seu virtuali, referendas ad DEUM, seu ad finem theologice moraliter bonum. Vide etiam ibidem a me tradita §. 389. not. 4.

270.

Potest homo gentilis sine fide supernaturali, & sine omni actuali Gratia supernaturali, per solas vires naturæ ponere aliquod opus morale formaliter theologice bonum ex omni parte, ex. gr. honorare parentes; misericordiam & opem egeno homini, quam facile potest, exhibere; fidem datam fideliter implere &c. 1.) Ad ejusmodi enim opera ponenda *nec* ei opus est tali gratia *ex parte intellectus*, qui naturali etiam acumine id genus regulas religionis practicas de bonitate theologice talium actionum (quod videlicet divinis perfectionibus sint conformes, quod DEUS illas approbet, velit, & remuneretur &c.) ceu ad prima principia, vel proximas his immediatas conclusiones, pertinentes, facile cognoscit (267.); *neque ex parte voluntatis*; quippe quæ ob facilitatem ipsam talium operum nullos graves stimulos contrarios concupiscentiæ in suscipiendis eisdem vincendos habet. 2.) Idem evincit sensus certo literalis textus supra (267.) citati ex Epist. ad Rom. II. 14. *gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis sunt, faciunt*, aliqua nempe, non omnia; ut mox dicetur. Præterea Exodi I. 15. seqq. commendantur benefacta obstetricum ægyptiarum, & refertur temporale præmium eis a DEO idcirco collatum: v. 20. *Quia timuerunt DEUM, ædificavit eis domos*: atqui obstetrices istæ certo carue-

ruerunt fide salutari; imo nec opus habuere ad hoc Gratia supernaturali actuali; id quod certe nullo probari argumento potest. Consentiunt de hac re *omnes Theologi catholici*, solis Augustinianis exceptis.

* *Objectionibus*, ex S. Augustino inprimis, abunde respondi in Eth. christ. univ. §. 383. not. 4. & §. 389. not. 2. 3. 4. *Adde* propositionem Baji n. 37. damnatam: *Cum Pelagio sentit, qui boni aliquid naturalis*, hoc est, *quod ex solis naturæ viribus ortum habet, agnoscit.* Quæ damnatio id certe probat; nihil cum Pelagiano illo errore commune habere hanc thesin nostram, quo isti id genus naturalibus operibus male ceu merito proprio liberi arbitrii naturalis gratiam fidei tribuebant. Adde *S. Hieronymum* in cap. I. ad Galat. apertissime scribentem: *Multi absque fide & Evangelio Christi vel sapienter faciunt aliqua, vel sancte; ut parentibus obsequantur; ut inopi manum porrigant; non opprimant vicinos; non aliena diripiant.*

* * *Opponunt* porro textus quosdam Scripturæ. *a*) Ad Titum I. 15. scribit Apostolus: *Omnia munda mundis: coinquinatis autem & infidelibus nihil est mundum; sed inquinatæ sunt eorum mens & conscientia. Resp.* Apostolus vult dicere: uti boni Christiani rebus omnibus solent uti in bonum; sic vulgo peccatores & infideles rebus etiam optimis abuti ad malum. Loquitur ergo *universe* de *rebus*, non de *actionibus* infidelium. Non est res, qua non abutantur: sed non dicit, in omni sua actione eos aliqua re abuti. *b*) Ad Hebr. XI. 6. idem Apostolus graviter affe-

 rit:

rit: *Sine fide impossibile est placere DEO.* *Resp.* dist. Impossibile est, placere hominem DEO, & esse amicum, *conc.* utcunque placere aliquod ejus opus DEO sine fide non potest, *nego.* *c*) Ad Rom. XIV. ult. *Omne, quod non est ex fide, peccatum est.* *Resp.* dist. Omne, quod non est ex fide theologica & habituali supernaturali, qua credimus DEO revelanti, *nego*: omne, quod non est ex dictamine & persuasione certa conscientiæ de licentia actionis; *conc.* De posteriore loqui Apostolum, patet: quia agit de Christiano fideli, qui invincibili ex errore putat, in lege gratiæ adhuc esse discrimen inter cibos, dicens: *Qui autem discernit; si manducaverit, damnatus est: quia non ex fide. Omne autem, quod non est ex fide, peccatum est.* Atque sic quidem interpretantur omnes Patres & Theologi cum Concilio Lateranensi IV. cap. 41. *Quoniam omne, quod non est ex fide, peccatum est; synodali judicio definimus, ut nulla valeat absque bona fide præscriptio.* Verum est, quod *S. Augustinus* hunc textum pluribus in locis intelligat de fide credendorum; sed solius S. Augustini interpretatio communi Patrum & Concilii Oecumenici auctoritati præjudicare non potest; maxime cum contextus aperte isti adstipuletur. Præclarissimus Scripturæ interpres fuit Augustinus: sed non semper optimam interpretationem idcirco attulit. Denique etiam de fide theologica exponens Augustinus dictum Apostoli aliud haud vult dicere, quam omne, quod adversatur positive fidei, & quod mente infideli fit, peccatum esse. Secus damnatam propositionem Baji n. 25. conceptis verbis traditam ab Augustino somniare deberemus, nempe: *omnia opera infidelium sunt peccata.*

***

* * * *Opponunt* denique dicta generalia quorumdam Conciliorum, ſimpliciter & univerſe negantium, quidquam boni operis fieri poſſe ſine gratia. *Reſp.* Concilia ejusmodi vel loquuntur de bono opere ſalutari; quale non eſt quodvis opus formaliter theologice bonum, quod nec fidem univerſalem ac firmam, aut ſimilem ſpem, vel amorem DEI importat (263.) ; vel ſolum affirmant, nihil boni hominem ex ſe ſolo & ſine omni gratia DEI etiam naturali habere, ſed ſolum peccatum ita eſſe ex ſolo libero arbitrio hominis, ut nullo modo ſit ab auctore DEO. *In primo ſenſu* certe loquuntur *Arauſicanum II.* Can. 7. in illa verba, *ſine me nihil poteſtis facere*, adnotans: *Nihil boni poteſt fieri per naturæ vigorem, quod ad ſalutem pertineat vitæ æternæ; Carthaginenſe III.* (ſeu Milevitanum) in Epiſt. ad Zoſimum: *Sine gratia nihil poteſt fieri veræ & ſanctæ pietatis*; *Tridentinum* Seſſ. VI: Can. 3. negans, *quemquam poſſe credere &c., ſine gratia, ſicut oportet, ut ei juſtificationis gratia conferatur. In ſenſu altero* loquitur idem Arauſicanum II. Can. 22. dicens: *Nemo habet de ſuo niſi mendacium & peccatum. S. Auguſtinus* in Lib. de Spiritu & litera cap. 3. alio adhuc ſenſu id ipſum enuntiat, dicens: *Neque liberum arbitrium quidquam niſi ad peccandum valet, ſi lateat veritas.* Contradicit nempe errori Pelagianorum, dicentium (ibid. c. 2.): *liberum arbitrium in eo ſolum adjuvari a DEO, quod præcepta dando ipſe doceat, quemadmodum homini vivendum ſit, & docendo ignorantiam auferat*: & defendit, ſi etiam hæc gratia deſit, qua DEUS docet, adeoque *ſi lateat veritas; liberum arbitrium ad nihil niſi ad peccandum valere*: interim nihilominus præter iſtam gratiam doctrinæ externæ inſuper *ad ipſam juſtitiam faciendam voluntatem adjuvari debere ſic, ut accipiat Spiritum ſanctum, quo fiat in animo ejus dilectio ſummi boni, quod DEUS eſt.* Unde licet idem dicere Auguſtinus cum Bajo videatur; de cujus propoſi-

positione n. 27. mox dicemus; tamen sensus longe inter se differunt. Cum enim veritas plane latet, nec per naturale, nec per supernaturale aliquod lumen cognoscitur; quid, nisi male agere, humanus appetitus, ad infima semper natura proclivis, potest?

271.

A fortiori itaque ad opus aliquod formaliter theologice bonum subinde imperfecto aliquo in virtutis gradu faciendum, & non salutare, opus non est Gratia habituali sanctificante (246): *adeoque etiam homo peccator subinde opus aliquod ex omni parte bonum, & quidem accedente Gratia actuali interna supernaturali etiam supernaturale opus, præstare potest.* Dogma fidei proximum probatur 1.) EX TRIDENTINO Sess. VI. Can. 7. damnans eum, *qui dixerit, opera omnia, quæ ante justificationem fiunt, quacunque ratione fiant, vera esse peccata:* & Sess. XIV. Can. 5. definiens, *contritionem, qua quis recogitat annos suos in amaritudine animæ suæ, ponderando peccatorum gravitatem, amissionem æternæ beatitudinis, & æternæ damnationis incursum, . . . esse verum & utilem dolorem, nec præparare ad gratiam &c.* Eandem contritionem ibid. cap. 4. vocat *donum DEI, & Spiritus sancti impulsum, non adhuc quidem inhabitantis, sed tantum moventis.* Ergo aliquis actus prior Gratia sanctificante est omnimodis bonus & supernaturalis. Denique idem Sess. VI. Can. 9. negat, *sola fide impium justificari;* & tamen ibid. Can. 3. itidem negat, *sine Spiritus sancti inspiratione atque adjutorio hominem credere, aut pænitere posse, sicut oportet, ut ei justificationis gratia conferatur* Probatur 2.) EX SS. LITERIS; in quibus passim peccatores excitantur, ut

ut pœnitentiam agendo, timendo DEUM, aliisque actibus, se præparent ad justitiam & DEI gratiam recuperando; ex. gr. Ezech. XVIII. 30. *Convertimini, & agite pœnitentiam.* Daniel IV. 24. Nabuchodonosori suadet: *Peccata tua eleemosynis redime, & iniquitates tuas miseriis pauperum.* Luc. XVIII. 13. *Publicani* contritio commendatur, & inde secuta *justificatio* asseritur. *Ninivitarum* denique pœnitentia subversionem urbis avertit. *Probatur* 3.) RATIONE. Homo etiam peccator, id est, affectu peccati prædominante habituali infectus, non semper agit secundum istius affectus imperium; nec idem affectus contrarie opponitur omnibus affectibus bonis, sed tantum affectui æque intenso erga verum bonum, cui malum illud opponitur, in quod præ vero bono tendit affectus malus prædominans. Unde etiam peccator, id est, bonum apparens præ DEO unico vero bono amans, tamen affectu debiliore, & relate ad amorem istum malum prædominantem inefficaci, amare & appetere verum bonum potest. Quod, cum sit, non malus est amor iste debilis veri boni; etsi minus bonus sit, quam oporteat esse ad salutem consequendam: sed malus est solus amor boni apparentis prædominans priori.

* *Opponunt textus S. Scripturæ.* *a*) Matth. VII. 18. *Non potest arbor mala bonos fructus facere.* *Resp.* Christus ait: *ex fructibus cognoscetis eos*, falsos nempe prophetas; tuncque ab effectu ad caussam jubet concludere velut a posteriori: si fructus malos videbitis, malos; sin bonos fructus conspicietis, bonos illos judicate: non enim boni tunc esse possunt, cum actu malum faciunt: nec mali tunc, cum actu bonum operantur stabiliter: ex quo non sequitur eum, qui habitu malus est, aliquando non secundum habitum malum agendo bonum

efficere posse. *b*) Prov. XV. 8. *victimæ impiorum abominabiles Domino* esse dicuntur. *Resp.* Hoc de illis dicitur, qui sine malo & intentione prava sacrificant; credentes, se tuto peccare posse, modo externo ritu DEUM in faciem adorent. *c*) Joan. IX. 31. dicitur: *DEUS peccatores non audit.* *Resp.* Cœcus hoc dixit: nempe, quod non audiat, si in contestationem auctoritatis apud DEUM petant fieri miracula; uti Christus patrabat in eum finem.

* * Recte ergo damnatæ sunt a S. Pio V. sequentes propositiones Michaelis Baji; nimirum 25ta: *Omnia infidelium opera peccata sunt, & virtutes philosophorum sunt vitia.* Possunt enim citra omnem Gratiæ supernaturalis actualis concursum, sine fide, & Gratia sanctificante, esse aliqua illorum opera physice moraliter bona & theologice formaliter indifferentia (269.), imo etiam formaliter theologice bona (270.). 27ma: *Liberum arbitrium sine DEI adjutorio non nisi ad peccandum valet.* 35ta: *Omne, quod agit peccator, vel servus peccati, peccatum est.* 37ma: *Cum Pelagio sentit, qui boni aliquid naturalis, hoc est, quod ex solis naturæ viribus ortum ducit, agnoscit.* 38va: *Omnis amor creaturæ rationalis aut vitiosa cupiditas est, qua mundus diligitur, quæ a Joanne prohibetur; aut laudabilis caritas illa, qua per Spiritum sanctum in corde diffusa DEUS amatur.* Item 22da: *Cum Pelagio sentiunt, qui textum Apostoli ad Rom. II.* Gentes, quæ legem non habent, naturaliter, quæ legis sunt, faciunt, *intelligunt de gentibus fidei gratiam non habentibus.* Ex his illud certe vicissim consequitur, *aliqua infidelium & peccatorum opera non esse peccata;* sed vel formaliter theologice indifferentia (qualia tamen vulgo Bajani & Jansenianani non admittunt) vel omnino theologice formaliter bona. Eosdem errores postea damnavit Alexander VIII. in propositionibus variis, 7ma: *Omnis humana actio deli-*

bera-

berata est DEI dilectio, vel mundi. 8va: *Necesse est, infidelem in omni opere peccare.* 11ma: *Omne, quod non est ex fide christiana supernaturali, quæ per dilectionem operatur, peccatum est:* item Clemens XI. in Quesnelli propositione 39.: *Voluntas, quam gratia non prævenit, est incapax ad omne bonum:* 40. *Sine gratia nihil amare possumus nisi ad nostram condemnationem.* 44. *Amore DEI in corde peccatorum non amplius regnante, necesse est, ut in eo carnalis regnet cupiditas, omnesque ejus actiones corrumpat &c.* Ceterum duces suæ istius doctrinæ Bajus habuit Wicleffum, Hussium, eo nomine jam in Concilio Constantiensi an. 1415. in Sess. XV. damnatos; item Lutherum, & Calvinum; qui communiter docuere, *opera omnia peccatorum esse peccata.*

* * * *Nota* denique, propositionem 25. 27. 35. 38. Baji enuntiatam ab hoc, sine censura ulla in contrarium sentientes, damnatas esse: ac proinde non posse de illis dici, quod non doctrina ipsa, quam afferunt, sed solum censuræ acerbitas damnata fuerit; qua Bajus vulgo diversa a se sentientes nimis temere notabat.

272.

Amorem DEI substantialiter perfectum, & lege naturali divina nobis præceptum (Eth. christ. univ. §§. 385. 386.), his ipsis locis modo citatis definivi esse illum, cujus vis omnis in tam efficaci proposito voluntatis consistit, ut istud per se & virtute sua par sit imperandæ executioni omnium mediorum ad finem creationis ultimum, DEI nempe fruitionem consequendam necessariorum, & omissioni omnium actionum huic fini contrarie &

graviter adverſantium. Amor iſte, quatenus ei executio iſta mediorum, & fuga impedimentorum, actu, ceu effectus ab eo imperatus, reſpondet, dicitur *effectivus*, vel *ſimpliciter*, ſi executionem generalem actu imperet, vel *ex parte*, ſi tantum aliquorum: idem vero, quatenus adhuc in ſolo affectu & propoſito exequendi finis per uſum mediorum &c. ſubſiſtit, *affectivus* appellatur; & ſi non ſit ſubſtantialiter perfectus, id eſt, non ad omnia, ſed aliqua ſolum media exequenda, aut ad impedimenta tantum aliqua ſubmovenda, virtute appetitionis ſuæ erga finem illum ultimum valeat, & *affectivus ſecundum quid*, ſeu affectus imperfectus, aut *velleitas*, vocari ſolet. Diſtinguunt præterea Theologi quidam *amorem DEI ut auctoris naturæ*, ſeu bonorum naturalium, & *amorem DEI ut auctoris gratiæ & gloriæ*, *ſeu beatitudinis ſupernaturalis*; & quærunt, utrum ille, & iſte, ſubſtantialiter perfectus, affectivus, & effectivus, poſſibilis ſit per ſolas vires naturæ ſine omni Gratia ſupernaturali interna actuali.

273.

Amor concupiſcentiæ DEI ut auctoris naturæ ſubſtantialiter perfectus, etiam ſolum affectivus, ſimpliciter impoſſibilis eſt. Talis enim amor, ceu amor concupiſcentiæ, DEUM ut auctorem bonorum mere naturalium, eorum nempe præciſe, quæ per vires naturæ ſimpliciter obtineri poſſunt, ac proin ipſa hæc bona mere naturalia, affectu tam valido appetere deberet, ut in ratione affectus imperantis per ſe ſufficere poſſet, tum ut in ſuo objecto, ceu fine ultimo ac vera beatitudine acquieſceret, tum ut imperaret omnia media, & fugam omnium impedimentorum, id eſt, obſervationem om-

omnium legum divinarum: fine priore enim posterius possibile non est; & fine posteriore amor ille substantialiter perfectus nullo sensu esse potest (praeced.). Atqui beatitudo vera & acquiescentia in bonis mere naturalibus nulla possibilis est (Eth. cit. §. 231. seqq.); nec bonis ullis mere naturalibus sufficiens momentum ac bonitatis gradus inest, ut eorum amor, huic bonitatis vero gradui proportionatus, imperare contemtum omnium voluptatum a DEO vetitarum, & tolerationem omnium malorum satis efficaciter possit, quae tolerare saepe necesse est, ne DEO quid displicens admittatur (Eth. cit. §§. 192. 193.).

* Si amori isti DEI ut auctoris naturae misceas gradum *amoris puri*, in complacentia divinarum perfectionum illarum consistentis, per quas auctor naturalium bonorum est, & quidem gradum tam validum, ut ex utroque composito amore amor simpliciter substantialiter perfectus oriatur: extra statum quaestionis praesentis prolaberis. Hic quidem *de amore concupiscentiae qua tali* solummodo differo.

274.

Amor concupiscentiae DEI ut auctoris beatitatis aeternae supernaturalis, idemque substantialis, lege naturali divina praeceptus (locis cit.), *quique solus salutaris per se esse potest* (263. III. IV.), *sine actuali DEI Gratia interna supernaturali elici non potest.* Ut enim eliciatur, assensu & persuasione fidei, seu certae ac satis firmae, id est, salutaris credulitatis (citat.) opus est, qua existentia alterius futurae vitae, & in hac beatitatis verae, id est, supernaturalis (Eth. cit. 231. seqq.), atque infelicitatis posi-

tivae

tivæ itidem æternæ certiſſime credatur (Eth. cit. §§. 388. 389. item §. 523.). Secus nempe deficiente motivo practice ſufficiente (cit. §. 195. ſeqq.) actus amoris ſubſtantiali illa cum efficacia oriri non poteſt. Atqui ad talem actum firmæ fidei eliciendum, & ad omnem actum ſalutarem (qualis certe eſt talis amor DEI hic deſcriptus) neceſſaria eſt DEI Gratia interna ſupernaturalis (264. 265.). Ergo &c. Hinc ARAUSICANUM II. Can 25. ita ſtatuit: *Hoc prædicare debemus, & credere, quod per peccatum primi hominis inclinatum & attenuatum fuerit liberum arbitrium, ut nullus poſtea aut diligere DEUM, ſicut oportuit, aut credere in DEUM, aut operari propter DEUM, quod bonum eſt, poſſit, niſi eum gratia miſericordiæ divinæ prævenerit.* Quibus verbis ſane Concilium non impotentiam hominis ad debitum DEO amorem ex ſupernaturalitate actus lege præſcripta, ſed neceſſitatem ſupernaturalis auxilii ex naturali impotentia liberi arbitrii præſente repetit, ac infert; cum hoc ſcilicet omni dono ſupernaturali ſpoliatum eſt; prout reipſa eſt ſpoliatum tali dono ante omnem gratiam, vel certe Gratia ſufficiente ad amorem DEI prædictum, quamdiu caret gratia fidei.

275.

A fortiori non poteſt homo per ſolas naturæ vires DEUM amare amore puro caritatis ſubſtantialiter perfecto. Evidens enim eſt, ad id genus amorem, ceu multo perfectiorem, ſimulque tam efficacem, ut par ſit imperando ſaltem firmo propoſito ſervandi omnia mandata DEI, multo perfectius lumen, firmioremque aſſenſum fidei & perſuaſionem certiſſimam, maximeque vivacem de infinita amabilitate DEI divinarumque perfectionum requi-

requiri, quam ad amorem concupiſcentiæ. Ergo ſi iſte ſine DEI Gratia ſupernaturali elici non poteſt; multo minus ille poterit.

276.

Ex huc usque inde a §. 273. *ſtabilitis evidente illatione ſequitur, non poſſe hominem per ſolas vires naturæ diu ſimpliciter ſervare totam legem naturæ, & vincere omnes graves tentationes; ſed ad hoc neceſſariam eſſe DEI Gratiam ſupernaturalem internam prævenientem.* Lex enim tota etiam mere naturalis conſtat legibus partim affirmativis, inprimis de ſæpius excitandis, nec diu differendis actibus certæ fidei ſeu perſuaſionis de dogmatis fundamentalibus ſaltem naturalis religionis; item ſpei, & caritatis, ſubſtantialiter perfectis (Eth. chriſt. univ. §§. 385. 380.); partim negativis, de vitandis omnibus actionibus formaliter theologice malis. Atqui *affirmativæ* illæ *leges* per dicta huc uſque ſervari non poſſunt ſine tali DEI Gratia; & tamen intra diuturnum tempus certiſſime obligant (Eth. cit. loc.). *Leges negativæ* ſervari non poſſunt, niſi ex imperio vel metus æternæ pœnæ (Eth. cit. §. 679.), vel amoris concupiſcentiæ, aut caritatis, ſubſtantialiter perfecti (ibid. §§. 683. 682. 678.); nec ſuppetunt motiva practice ſufficientia ad eas ſervandas, niſi ex fide ſalutari de præmiis & pœnis æternis futuræ alterius vitæ (ibid. §. 195. ſeqq.). Atqui fides, amor concupiſcentiæ, vel caritatis, imo & metus ſalutaris æternæ pœnæ &c., elici non poſſunt ſine Gratia prædicta. Ergo &c. *Probatur* idem ulterius 1.) EX SS. LITERIS. *a*) Ad Rom. VII. 23. conqueritur Apoſtolus: *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege pec-*

peccati, quæ est in membris meis. Infelix ego homo! quis me liberabit de corpore mortis hujus? (id est, de corpore hoc mortifero, seu mortem animæ ferente) *Gratia DEI per JESUM Christum.* Ubi communi consensu Patres & interpretes per *legem membrorum* concupiscentiæ rebellionem necessitatem ad peccatum, & per *legem mentis* legem naturalem a ratione promulgatam intelligunt; a cujus violandæ necessitate non nisi per Christi Gratiam liberemur. Et II. Cor. III. 6. *Litera occidit, spiritus autem vivificat.* b) Inde est, quod orationem omnes Sancti direxere ad DEUM pro hac gratia. Sic David Psalm. XVII. 30. *In te eripiar a tentatione.* Eccles. XXIII. 1. *Domine Pater & dominator vitæ meæ! ne derelinquas me; ... ne adincrescant ignorantiæ me, & multiplicentur delicta mea ... Aufer a me ventris concupiscentias. ... Extollentiam oculorum ne dederis mihi &c.* Sap. VIII. 21. *Scivi, quoniam aliter non possem esse continens* (id est, compos sapientiæ, quam mox petit; in græco enim est vox ἐγκρατής), *nisi DEUS det: & hoc ipsum erat sapientiæ, scire, cujus est donum.* Christus ipse monet Matth. XXVI. 41. *Orate, ut non intretis in tentationem. Probatur* 2.) EX SS. PATRIBUS. *S. Ambrosius* in Psalm. XLIII. n. 71. ait: *Quis est tam fortis, ut nequaquam in tentationem moveatur; nisi Dominus ei adjutor assistat? S. Augustinus* L. de perf. just. cap. ult. *Quisquis*, ait, *negat, nos orare debere, ne intremus in tentationem (negat autem hoc, qui contendit, ad non peccandum Gratiæ DEI adjutorium non esse homini necessarium; sed sola lege accepta, humanam sufficere voluntatem); ab auribus omnium removendum, & ore omnium anathematizandum esse, non dubito.* Idem refutat *S. Hieronymus* L. II. adversus Pelag. *Probatur* 3.) EX CONCILIIS. *Diospolitanum* damnavit hunc Pelagii articulum: *Victoria nostra non*

ex DEI adjutorio eſt, ſed ex libero arbitrio. Carthaginenſe II. in Ep. ſynod. ad Innoc. I. damnaſſe ſe teſtatur Pelagianos, *quod dicerent, liberum arbitrium absque DEI Gratia poſſe implere legem DEI ſive naturalem in corde ſcriptam, ſive in literis datam.* 4.) EX PONTIFICUM *Reſcriptis. S. Innocentius I.* in Epiſt. ad Patres Carthaginenſes ſcribit: *Niſi quotidianis Chriſti remediis freti confiſique nitamur, nullatenus humanos vincere errores poterimus. S. Cœleſtinus I.* ad Epiſc. Gall. *Nemo etiam baptismatis gratia renovatus idoneus eſt ad ſuperandas diaboli inſidias, niſi per quotidianum adjutorium DEI perſeverantiam bonæ converſationis acceperit.* Ubi nota: Scripturam, Patres, Concilia, Pontifices, univerſe ſemper affirmare, legem omnem *ſimpliciter* ſine gratia ſervari non poſſe, & nihil memorare vel diſtinguere obſervantiam ſupernaturalem, vel naturalem, & *Gratiam*, quam neceſſariam eſſe dicunt, ſemper *Gratiam Chriſti* appellare, qua voce vulgo non naturalem ſolum, ſed ſupernaturalem intelligunt.

* *Opponebant Pelagiani* 1.) *In Scripturis* leges DEI dicuntur eſſe obſervatu faciles. Deut. XXX. 11. *Mandatum hoc, quod ego tibi hodie præcipio, non ſupra te eſt &c.* Alias *onus DEI leve* dicitur. Ad Rom. II. *Gentes, quæ legem non habent, naturaliter faciunt ea, quæ legis ſunt. Reſp. ad 1mum.* Faciles dicuntur, ſed non ſine gratia: ſed potius, quia gratia ſemper præſto eſt. *Ad alterum.* Gentes ſine gratia *aliqua* legis, non omnia, naturaliter implere ab Apoſtolo dicuntur. 2.) *Ex Patribus. S. Chryſoſtomus* Hom. V. in Epiſt. Rom. II. ſcribit: *Admiratione dignos eſſe gentiles, quod nec lege ipſis opus fuerit, & tamen omnia, quæ legis erant, præſtiterint. Reſp.* Non dicit, vel unum ex eis omnia præſtitiſſe, ſed ſolum

ſolum omnes univerſe, ita, ut nulla ſit lex naturæ, quam non aliquis gentilium obſervarit, ſaltem quoad exterius de hoc judicari poteſt. 3.) DEUS homini infideli, aut peccatori, ſupernaturalem Gratiam largiri non tenetur. Ergo ſi absque hac ſervare legem non poteſt moraliter, eadem non obligatur omnino: ad moraliter enim impoſſibilia obligari non poſſumus. *Reſp.* Etſi non *debeat* peccatori gratiam; tamen pro ſua infinita benevolentia offert, ſaltem quamdiu utilitatem aliquam communem, vel particularem ipſius peccatoris, exinde orituram prævidet. Si neutram prævideat; vel offert nihilominus ſufficientem Gratiam; de quo inferius dicetur peculiari quæſtione; vel non damnat peccatorem ob ſola ea peccata, in quæ morali neceſſitate trahebatur, ſed ob alia præcedentia, quæ juvante Gratia moraliter vitare poterat. Interim tamen obligatur, manente ſemper *libertate phyſica*, etiam ſtante *morali impoſſibilitate*, id eſt, maxima difficultate, ſine gratia ſervandi totam legem. 4.) Singula DEI mandata ſine morali difficultate etiam ſine gratia obſervari poſſunt. Ergo etiam omnia ſimul & diu. *Reſp. nego antec.* vel *diſtinguo*: Cum abeſt vehementior ſtimulus concupiſcentiæ; *concedo*: ſecus, *nego*. Atqui non abeſt hic diu in quolibet homine, vel circa hoc ſingulare, vel circa aliud DEI mandatum, pro diverſa cujusque indole, educatione, adjunctis fortunæ, uſu familiari cum perſonis diverſis &c.

' *Quærunt* jam porro Theologi: an reſpuentibus gratiam fidei, id eſt, ex propria culpa perſeverantibus in infidelitate, item an reſpuentibus Gratiam juſtificationis, ſeu peccatoribus voluntarie in peccato ſuo gravi habituali ſine pœnitentia ſincera hærentibus, DEUS det gratiam illam actualem, quæ modo neceſſaria eſſe oſtenſa eſt ad diu obſervandam totam naturæ legem: ſive: an ad hoc,

ut

ut obtineamus a DEO Gratiam proxime sufficientem ad observandam totam legem naturæ, a priori necessaria sit Gratia fidei, & Gratia sanctificans, non solum excitans, sed adjuvans, id est, efficax (259. I.), cui scilicet actu consentiamus: uno verbo: an, qui Gratiam fidei, aut Gratiam justificationis ab admisso peccato habituali respuunt, idonei sint ad recipiendam Gratiam sufficientem diu observandi totam legem naturæ; vel an DEUS hanc sufficientem Gratiam talibus largiatur. Ubi tamen *notandum*: hic per *Gratiam fidei* non intelligi determinate Gratiam fidei catholicæ, sed fidei saltem firmæ de dogmatis fundamentalibus, & absolute scitu necessariis ad salutem; qualia sunt inprimis de existente DEO remuneratore boni moralis per præmia æternæ beatitatis, & mali moralis vindice per pœnas æternas; ita tamen, ut nulla *culpabilis infidelitas* circa alios articulos fidei catholicæ commisceatur.

277.

Respuentes Gratiam fidei salutaris circa dogmata religionis fundamentalia, aut Gratiam justitiæ sanctificantem ope pœnitentiæ seriæ & efficacis ab admissis peccatis obtinendam (Eth. christ. univ. §§. 716. 717.), *non sunt idonei ad totam legem DEI naturalem ope alterius Gratiæ actualis supernaturalis observandam*: ac proinde *necessaria ad hunc finem est Gratia efficax fidei, & Gratia actu justificans, seu habitualem Gratiam sanctificantem restituens.* Sine fide enim actuali, eaque salutari (§. 263 I.) de præmiis & pœnis æternis alterius vitæ desunt motiva practice sufficientia ad servandam diu totam legem naturæ; cum, nisi credantur, movere non possint. Sine metu autem pœnarum æternarum, prædominante omni alteri timori quorumcunque malorum, & sine desiderio præmiorum æterno-

rum itidem prædominante appetitui quorumlibet bonorum præsentis vitæ, in collisione rebellionis concupiscentiæ cum observatione mandatorum divinorum actu obligantium deficit omnis affectus primitivus voluntatis rationalis efficaciter imperans, & necessarius ad mandata DEI simpliciter recte observanda; eo quod non nisi ex metu æternarum pœnarum, vel ex amore concupiscentiæ, vel ex amore puræ caritatis, & utroque quidem substantialiter perfecto, lex illa tota diu observari possit (Eth. univ. christ. §§. 679. 683. 682. 678.). Ex adverso autem prædominatur actu, vel certe habitu, aliquis amor inordinatus graviter malus amori cuicunque divino. Atqui ubi fides salutaris, & amor vel concupiscentiæ, vel caritatis, substantialiter perfectus; justitia & Gratia sanctificans continuo consequitur. Ergo sine fide salutari & Gratia sanctificante nemo idoneus est ad totam legem naturæ ope alterius gratiæ diu observandam. *Probatur* hæc ipsa thesis 1.) EX SS. LITERIS. Nam *necessitatem fidei* docet S. Joannes Ep. I. V. scribens: *Hæc est victoria, quæ vincit mundum, fides nostra.* Et S. Paulus ad Rom. III. 27. ait: *Ubi est gloriatio tua? Exclusa est. Per quam legem? factorum? Non: sed per legem fidei.* Cujus dicti sensum ut intelligas; nota: Christianos ex Judæis gloriatos fuisse, se digniores esse Gratia fidei, quam Christianos conversos ex gentilibus; quia ipsi servassent legem scriptam; gentiles autem non. Jam dicit Apostolus: quid gloriaris, o Judæe? an forte, quia fecisti opera legis scriptæ, quæ non fecere gentiles? Noli gloriari: quia tu hanc legem non servasti absque Gratia fidei in Christum venturum, quæ tibi gratis donata est. *Necessitatem* vero *Gratiæ sanctificantis* discimus ex Joan. Ep. I. c. II. *Qui servat verbum ejus, in hoc caritas DEI perfecta est:* & cap. III. *Hæc est caritas DEI, ut*

man-

mandata ejus servemus. Quibus verbis ſane Evangeliſta docet, obſervationem totius legis ſimpliciter eſſe ſine caritate perfecta non poſſe, ſed eſſe iſtius proprium effectum. Nec de lege ſupernaturali qua tali præciſe loquitur, ſed de lege actuum humanorum regula quacunque etiam naturali; cum præcipue ibi agat de dilectione proximi. *Probatur* 2.) EX SS. PATRIBUS. S. AUGUSTINUS de ſpirit. & lit. cap. 26. ſcribit in illud ad Rom. II. 18. *Non auditores, ſed factores legis juſtificabuntur: Sic intelligendum eſt, ut ſciamus, eos aliter non eſſe factores legis, niſi juſtificentur: ut non juſtificatis factoribus legis* (totius) *accedat; ſed ut factores juſtificatio præcedat.* Et Lib. de catech. rudib cap. ult. ait: *Legem diligendi DEUM & proximum non implere, niſi qui acceperit Spiritum ſanctum.* S. GREGORIUS M. Lib. XXV. in Job ſcribit: *Peccatum, quod pœnitentia non diluit, mox ipſo ſuo pondere ad alia trahit.*

* Ex his probationibus facile advertes, *Gratiam ſanctificantem ſolum indirecte neceſſariam ad totam legem ſervandam dici*; quatenus nempe neceſſarius eſt amor DEI prædominans, concupiſcentiæ, vel caritatis; quem Gratia ſanctificans vulgo comitatur.

* * Ceterum *fidem, quæ neceſſaria hic probatur, debere eſſe fidem proprie dictam*, id eſt, nixam revelatione divina, colligitur ex propoſitione 23. ab Innocentio XI. damnata, quæ ſic habet: *Fides late dicta, ex teſtimonio creaturarum, vel ſimili motivo, ad juſtificationem ſufficit.*

278.

Ad diu, vel toto vitæ diuturnioris tempore vitanda omnia peccata levia, etiam semideliberata, vel semipleno solum consensu patrari solita, moraliter necessariæ sunt Gratiæ actuales speciales & extraordinariæ. Catholicum hoc dogma est, & *probatur* 1.) EX SCRIPTURIS. Ecclesiastis VII. 21. *Non est homo justus in terra, qui faciat bonum, & non peccet.* I. Joan. I. 8. *Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus; ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est.* Ex his sic ratiocinari pronum est. Quod nullus justorum, etsi ordinariis Gratiæ auxiliis utique instructus, omni licet diligentia adhibita diu vitare potuit; id moraliter per solas ordinarias Gratias diu vitare impossibile est. Atqui &c. Porro textus non de gravibus utique peccatis, sed de levibus utique loquuntur: secus S. Joannes de se, & de justis universe pro omni tempore id non profiteretur confitendum esse.

Probatur 2.) EX SS. PATRIBUS. *S Hieronymus* L. II. adversus Pelag inter errores Pelagianorum numerat, *posse hominem esse absque omni peccato. S. Augustinus* L. de dono persev. c. 2. scribit: *Tria sunt, quæ maxime adversus Pelagianos defendit Ecclesia; quorum unum est, in quacunque justitia sine qualibuscunque peccatis in hoc corruptibili corpore neminem vivere.* Ubi S. Doctor non suam, sed Ecclesiæ ipsius sententiam allegat.

Probatur 3.) EX CONCILIIS. *Milevitanum II.* Can. 6. *Placuit, quod ait S. Joannes: si dixerimus, quia peccatum non habemus &c.: quisquis sic accipiendum putaverit, ut dicat, propter humilitatem opor-*

oportere dici, nos habere peccatum; non quia vere ita eſt; anathema ſit. Tridentinum Seſſ. VI. Can. 23. *Siquis hominem ſemel juſtificatum dixerit ... poſſe in tota vita omnia etiam venialia vitare, niſi ex ſpeciali DEI privilegio, quemadmodum de Bma Virgine tenet Eccleſia; anathema ſit.*

Probatur 4.) EX RATIONE. Moraliter homini, etiam ordinariis Gratiis adjuto, impoſſibile, id eſt, ſumme difficile eſt, ex una parte omnem debitam intellectus attentionem adhibere, qua opus eſt tum ad detegendam certo judicio licentiam ſingularum actionum, aut moralem malitiam, tum ad motiva actionem malam diſſuadentia ſatis ponderanda; quoties periculum aliquod peccandi in operatione aliqua apprehenditur; vel vice verſa ad omnes agendi obligationes: ex altera parte vero ſimul tota voluntatis efficacia uti ad reſiſtendum continuo ſine ulla negligentia voluntaria omnibus motibus pravæ concupiſcentiæ, tum appetentis bonum mere apparens, tum averſantis verum bonum, lege aliqua leviter obligante præceptum & quidem utrumque per longum tempus: id eſt, moraliter impoſſibile eſt, ut per longum tempu; tam perfecte quis utatur facultate intellectus & voluntatis, ut nec inconſiderantia, nec incuria aliqua, neque negligentia aliqua etiam leviter culpabili peccet (Eth. univ. chriſt. §§. 431. 451. 463.). Niſi ergo Gratiis extraordinariis ad hoc juvetur, moraliter neceſſarium eſt, ut brevi in alterutro deficiens, ſive in aſſiduitate attentionis, ſive in ſtudioſitate voluntatis, ſaltem leviter peccet. Accedit ipſa multitudo occaſionum peccandi.

279.

Soli Bmæ Virgini concessum hoc esse privilegium immunitatis ab omni quocunque levi peccato per omnem vitam, certo constat. De Bma enim sola Virgine hic est Ecclesiæ ipsius sensus communis teste 1.) *S. Augustino*; qui in L. de nat. & Grat. cap. 36. scribit: *Excepta B. V. Maria, de qua propter honorem Domini nullam prorsus, quando de peccatis agitur, haberi volo quæstionem. Unde scimus, plus gratiæ ei concessum fuisse ad vincendum omni ex parte peccatum; quia parere meruit, de quo constat, quod nullum habuerit peccatum Hac ergo Virgine excepta, si omnes illos Sanctos, & Sanctas, cum hic viverent, congregare possemus, & interrogare, utrum essent sine peccato: quid fuisse responsuros putamus? Nonne una voce clamassent: si dixerimus; quia peccatum non habemus, nos ipsos decipimus, & veritas in nobis non est.* Interim S. Augustinus hoc non audet affirmate pro certo asserere: nam L. de perf. justit. c. 21. scribit: *Si excepto illo capite nostro* (Christo) *asseruntur vel fuisse, vel esse in hac vita aliqui homines justi sine peccato* (intellige, ex speciali privilegio) *non nimis existimo reluctandum.* Ex quo ipso tamen patet, rem incertam ab Augustino habitam esse de quocunque alio Sancto. 2.) Teste *S. Bernardo* ep. 174. *Nemini alteri quam Bmæ Virgini in natis mulierum creditur esse donatum immunem esse ab omni peccato.* De actuali peccato loqui S. Doctorem hunc, certum est ex contextu. 3.) Teste *Tridentino* §. præced. n. 3. citato de Bma Virgine id certum est; idemque simile quid de nullo saltem alio homine puro enuntiat. Unde cum S. Scriptura §. præc. nro 1. allegata universe de omnibus justis loquatur, exceptio vel unius præter illam sine auctori-

tate

tate Ecclesiæ, Conciliorum, & Patrum, tuto fieri a nemine potest.

* Dixi vero, *a quocunque levi peccato*, nempe etiam a tali peccato semipleno consensu, vel ex inconsiderantia solum admisso. Nam deliberata venialia & pleno consensu admissa diu vitari etiam per ordinarias Gratias posse a viris perfectionis studiosioribus, & a maximis quibusque Sanctis, puta a S. Joanne Baptista, S. Josepho, a SS. Apostolis &c. actu vitata, vel toto, vel longo vitæ tempore fuisse, verisimillimum est, & communis Theologorum sensus.

** Ceterum communis Ecclesiæ sensus de Bma Virgine DEI Matre prævalere debet Scriptorum quorumdam veterum privatæ opinioni, contra illum Ecclesiæ sensum prorsus sine fundamento B. Virgini affingentium levia quædam peccata. Sic *Tertullianus* in L. de carne Christi c. 7. dicit, Mariam Matrem in morte Filii dubiam hæsisse in fide. *S. Chrysostomus* Hom. 45. in Matth. & Hom. 21. in Joan. ei vanam gloriam affingit; cum in nuptiis Canæ Galilææ miraculum a Filio peteret. Sed uterque privatæ suæ suspicionis nullum affert, nec potest afferre fundamentum.

*** Ceterum *Pelagiani* contrarium dogmati §. præc. stabilito *probabant* 1) *ex SS. Literis.* Nam *a*) Matth. V. 48. Christus nos hortatur: *Estote perfecti, sicut Pater cœlestis perfectus est.* *b*) Multi in SS. Literis commendantur ut immunes ab omni peccato. Sic *Job* de se ipso dicit cap. 27. v. 6. *Non reprehendit me cor meum in omni vita mea.* De *Zacharia* & *Elisabeth* Luc. I. 6. dici-

 tur:

tur: *Erant justi ambo ante DEUM, incedentes in omnibus mandatis & justificationibus sine querela.* Christus ipse Matth. XI. 11. de *S. Joanne Baptista* testatur: *Non surrexit major inter natos mulierum.* Et Ecclesia de eodem canit, desertum petiisse, *ne levi saltem maculare vitam facinore posset.* *c)* Cum Scriptura dicit, omnes etiam justos dicere se peccatores debere, significat solum, modestiam hoc exigere. *Resp. ad a)* Textus non loquitur de perfectione omnimoda & in omni genere, sed de uno tantum dilectionis inimicorum, & tantum aliqua proportione, non æqualitate. Prius enim Christus dixerat: *Diligite inimicos vestros*: idque commendabat exemplo Patris sui, *qui pluat super justos & injustos*: tum concludit: *Estote ergo perfecti, sicut &c.* *Ad b) resp. dist.* Multi commendantur ceu immunes a peccato gravi, aut veniali deliberato, *concedo*: etiam a veniali semideliberato, aut semipleno cum consensu admisso, *nego.* *Job* de se ipse fatetur cap. VII. *Peccavi: quid faciam tibi, o custos hominum*: & cap. XLII. 6. *Insipienter locutus sum: idcirco me reprehendo, & ago pœnitentiam.* *Zachariam* scimus propter aliquam incredulitatem, Angelo nuntianti partum S. Joannis exhibitam, ad tempus punitum jactura linguæ. De *S. Joanne Baptista* Christus solum dicit, inter Prophetas fuisse maximum; sic enim habet S. Lucas VII.: *Non surrexit major Propheta.* Et licet inter Sanctos veteris testamenti diceretur fuisse maximus, nondum sequeretur, fuisse a peccato omni immunem. *Ad c) respondet* Milevitanum II. supra citatum (278. n 3.), & S. Augustinus sic urget Serm. 29. de verb. Dom.: vel verum dicerent, vel falsum? Si verum: ergo habent peccatum. Si falsum: ergo mentiendo contrahunt peccatum. Est nempe humilitas summus amor veritatis, qua etiam nobis ipsis minime blandimur occultando nobis veros defectus. Et S. Joannes expresse dicit: *Veritas in nobis non est*; non, *humilitas in nobis non est.*

* * * *

* * * * *Objici* 2.) possunt varia *ex ratione*. *a*) Si datur necessitas moralis leviter peccandi, vel est necessitas determinate ad certum peccatum, in specie, vel individuo, vel ad peccatum indeterminatum: non primum: quia ordinariæ etiam Gratiæ procurant moralem potentiam servandi singulas leges, cum actu obligant; secus, illæ Gratiæ non essent vere ac relative sufficientes: non alterum: quia hæc necessitas datur a parte rei; quo facto nihil datur indeterminatum. *Resp.* Est necessitas ad aliquod peccatum indeterminatum. Necessitas enim ista est difficultas, quæ oritur ex eo, quod vires intellectus ad clare cognoscendam veram atque integram bonitatem & malitiam moralem theologicam singularum actionum, & motiva eas ponendi aut vitandi, simulque etiam vires voluntatis rationalis ad superandos contrarios stimulos malæ concupiscentiæ, continue, & sine remissione, vehementer intendi debeant, ut intra quodvis paullo longius tempus frequentissime occurrentes leviter saltem peccandi occasiones omnes vincantur. Difficultas ista determinatur quoad suam magnitudinem per numerum talium occasionum, per vehementiam stimulorum allicientium ad peccatum, & per infirmitatem seu limitationem naturalem vis intellectivæ & appetitivæ rationalis; quam ex parte relinquunt etiam Gratiæ sufficientes ordinariæ; ac proinde determinatam habet rationem certæ virtutis caussalis ad determinatum effectum totalem. Unde &, quo plures & graviores occurrunt occasiones peccati levis vincendæ intra idem tempus; eo difficultas illa est major, & major necessitas peccandi *aliquo* peccato; sed non determinate hoc præ illo. Unde sicut difficultas, id est, exigua relatio virium intellectus & voluntatis, non datur respectu singularum occasionum peccati vincendarum, sed non nisi relate ad omnes simul intra longum tempus vulgo occurrentes: ita moralis necessitas *vulgo* nulla datur ad determinatum unum veniale peccatum, sed

folum ad aliquod indeterminate. Nec tamen propterea datur aliqnid indeterminatum a parte rei: qnia difficultas illa vitandi omnia peccata, feu relatio virium ad effectus, utique determinata eft. Sic neceffitas metaphyfica datur ad alterutrum indeterminate ex contradictoriis faciendum; quæ tamen in determinata fimultanea potentia libera ad utrumque disjunctive, fed non conjunctim confiftit. Nimirum refpiratione aliqua attentioni intellectus & contentioni voluntatis conceffa, vis utraque facilius deinceps de novo intenditur. Sed fimul ac vigilantia & contentio remittit, brevi inconfiderantiæ, vel incuriæ quoddam peccatum fubrepit. Dixi autem: *vulgo* non dari neceffitatem determinati peccati. Nam fæpe fieri poteft, ut diu & multis jam fuperatis occafionibus peccati fic fatigata jam vis mentis fit, ut ad proximum peccatum, cujus occafio fe offert, morali cum neceffitate urgeatur, inconfideratione, vel incuria aliqua, committendum. *b*) Homo vincendo aliquas occafiones peccandi femper fit fortior ad alias fuperandas: ergo ex multitudine occafionum peccandi non crefcit difficultas, neque neceffitas peccandi. *Refp.* Fortior fit ad vitanda peccata ejusdem fpeciei faltem deliberata, *conc.* ad ea, quæ fpeciei diverfæ funt, vel etiam ad femideliberata ejusdem fpeciei univerfe, id eft, ea, quæ in inconfiderantia circa eandem fpeciem peccati vitandam confiftunt; *nego.* Labor enim vigilandi pro multitudine occafionum & temporis diuturnitate crefcit; & habitus acquifitus non facilitat nifi actus ejusdem fpeciei. *c*) DEUS lege nos obligare non poteft ad id, quod moraliter impoffibile nobis eft citra præviam culpam propriam. Jugum enim DEI fuave eft. *Refp.* Lex DEI utique gravius per fe obligat, ut ne deliberate & pleno confenfu, quam ut nec femideliberate aut femipleno confenfu peccemus. Aliqua tamen obligatione opus eft, ut diligentia noftra & vi-

gilan-

gilantia ſtimuletur, ſecus facile etiam deliberate remiſſura. Nec lex erit juſto rigidior, quam ſalutis humanæ neceſſitas exigat. Objectio id probat omnino, mitem *talis* peccati pœnam, & facilem remiſſionem eſſe debere. *d*) Si ita eſt; nemo prudens poteſt edere votum nunquam leviter offendendi DEUM: imo nec efficax iſtius rei propoſitum concipere, aut DEUM orare, ut id Gratiæ extraordinariæ concedat. *Reſp.* Sicut ſine ſpeciali revelatione temerarium eſt, ſibi a DEO præ ſanctiſſimis viris donumGratiæ tam extraordinariæ promittere: ita temerarium mihi evidenter videtur aliquid DEO *vovere*, quod prudenter ſperare non poſſis, te poſſe implere. Quod ad *propoſitum* attinet; cum in vincenda difficultate morali poteſtas phyſica maneat; proponere & incipere poſſumus iſtam omnem impendere; ſed cum modeſta inconſtantiæ noſtræ prævilione, ac proinde optando magis perſeverantiam boni propoſiti pio affectu, quam fiducia perduraturæ diu conceptæ ad tempus perfectæ efficaciæ voluntatis. *Orare* DEUM expreſſe pro hoc dono ſingulari, deſiderio abſolute efficaci, mihi itidem temeritate carere non videtur; quia non ſine ſapienti conſilio ad majus modeſtiæ bonum promovendum DEUS pœne omnibus negat. Optare vero id ipſum affectu pio conditionato, ſi DEO ita videretur; id improbari non poteſt.

ARTICU-

ARTICULUS IV.

DE GRATIA ACTUALI INTERNA SUFFICIENTE.

280.

Gratiam *ſufficientem* ſupra §. 258. definivi eſſe benevolentiam DEI, affective ſaltem & ſerio volentis actum creaturæ rationalis moraliter theologice bonum, & conferentis illuſtrationem & motionem Gratiæ internæ actualis ſupernaturalis tam intenſam, quam opus eſſe & ſufficere prævidet ad hoc, ut detur in creatura rationali facultas moralis libera completa a priori ad actum theologice formaliter bonum. Ibidem oſtendi in adnot. 2., *ut Gratia ſit vere ſufficiens ad quemcunque actum bonum liberum in ſpecie & individuo, opus eſſe, ut non ſolum abſolute, ſed relative ſufficiens ſit.* Diſtinxi denique *Gratiam pure ſufficientem* ab *efficaci* per hoc, quod illa ſit, quam DEUS largitur cum prævifione & permiſſione voluntaria ſimpliciter efficaci diſſenſus creaturæ; iſta vero, quam DEUS concedit cum præſcientia & voluntate ſimpliciter efficaci conſenſus creaturæ. Unde *omnis Gratia efficax ſufficiens eſt; ſed non omnis ſufficiens Gratia eſt efficax:* quia pure ſufficiens vere relative ſufficiens eſt, ſed non efficax.

* Gratiam pure ſufficientem negarunt Lutherus & Calvinus, iſtorumque aſſeclæ rigidiores; qui & molliores, ſeu Armenianos, a Duce Arminio ſic appellatos, aſſerentes eam, damnarunt in Synodo Dortracenſi anno 1618., in qua declararunt: *Diſtinctio Gratiæ in effica-*

cem & sufficientem nobis non placet. Habeant eam sibi Bellarminus & Arminius. Quoscunque enim Spiritus sanctus trahit, illis non tantum dat posse currere, sed etiam ut actu currant. Calvini doctrinam, ut fere solebat, presso pede secutus Jansenius est; cujus systema, & historia, jam breviter a me exponenda sunt.

281.

Cornelius Jansenius an. 1585. apud Batavos in exiguo oppido, Ackoy dicto, ex parentibus pauperibus catholicis natus in territorio Leerdamensi, Theologiæ operam dedit Lovanii, sub Magistro Jacobo Janson, Michaelis Baji doctrinarum pertinacissimo propugnatore; ubi & amicitiam contraxit cum celeberrimo Abbate Sancyrano Joanne Vergero de Hauranne; quocum deinde Bajonæ annis omnino duodecim Lectioni S. Augustini improbam operam dedit. Inde Lovanium reversus, an. 1617. laurea suprema theologica decoratus, & demum an. 1630. SS. Literarum Professor a Philippo III. Hispaniarum Rege renuntiatus est. Quinquennio post nominatus Episcopus Yprensis, tertio a sua consecratione anno, nempe an. 1638. 6. Maji, lue pestifera grassante e vivis ereptus est; postquam ultimam manum imposuisset operi, in quo perpoliendo annis jam viginti duobus desudaverat; quod inscripsit primo quidem *Apologiam Baji;* tum vero præsentiens, concitandam sibi Romæ tempestatem, mutato titulo: *Augustinus*, seu *Doctrina S. Augustini de humanæ naturæ sanitate, ægritudine, medicina, adversus Pelagianos & Massilienses.* Ante mortem tamen relicturus specimen suæ submissionis erga Romanam Sedem, cum librum istum Sacellano suo legaret, ut collata opera cum Liberto Fromondo, & Henrico

rico Caleno, typis edendum curaret, ultimæ voluntatis tabulis eundem librum Romani Pontificis judicio subjecit, professus mori velle in obedientia erga illam Ecclesiam. Sed & jam antea vix absolutum opus proposuit dedicare ipsi Urbano VIII. Litera dedicatoria, in eum finem jam concepta, & ab executoribus testamenti suppressa, conservata tamen est a Principe Ludovico Condeo, in cujus manus in Yprensis urbis expugnatione incidit. Dubitant vero viri graves de sinceritate subjectionis istius judicii erga Romanam Sedem: tum quia Jansenius in suo libro docet, quæ probe sciebat ab Ecclesia certo rejicienda, eoque ipso fine edi ante mortem scripta sua nolebat; uti ipse scribit an. 1621. Ep. 16. 5ta Martii ad Sancyranum Abbatem data; tum quia, paucorum terminorum discrimine excepto, purum putum systema Calvini tradidit in materia Prædestinationis, Gratiæ, & libertatis; id quod Arnaldo Jurieu ringente ipse celeberrimus Calvinianus Doctor in libro, quem *Spiritum* Arnaldi inscripsit, Tom. II. p. 4., affirmate defendit.

Interim liber *Augustinus* ab executoribus testamenti nulla Romæ approbatione petita, non minore secreti cura impressus est, quam scriptus fuerat ab auctore; comparuitque demum an. 1640, dedicatus Cardinali Infanti Hispaniæ, cum approbatione Caleni & Dupontii; qui censores erant librorum; addito encomio, quod puram S. Episcopi Hypponensis contineret doctrinam, *Ecclesiastico & infallibili judicio confirmatam.* Hæc sunt Caleni verba; qui tamen an. 1644. Rurimondæ Episcopus creatus, abjuravit doctrinam Jansenii; atque iras idcirco Janseniorum inde acerbissimas in se concitavit. An. 1641. 6. Martii (Stylo Ecclesiæ Romanæ, quæ novum annum a die Incarnatio-

tionis, id eſt, a 25ta Martii incipit; ſtylo vero politico an. 1642.) data eſt Bulla ab Urbano VIII., incipiens *In eminenti*; qua prohibebatur liber *Auguſtinus poſt maturam & diligentem lectionem* ex duplici cauſſa: *primo* quia contra Decretum Pii V., & ipſius Urbani VIII., de non edendis ullis ſcriptis circa materiam de auxiliis Gratiæ, editus eſſet: *ſecundo* quod multas propoſitiones Baji jam damnatas a Pio V. & Gregorio XIII. contineret. Falſi mox Bullam expoſtularunt Janſenii Lovanienſes aſſeclæ. Miſſi Romam ex eis duo deputati Joannes Synnichius & Cornelius Papius defenſionis Cauſſa. Sed fructus itineris iſtius fuit exemplar Bullæ authenticum, ex ipſo authographo in tabulario S. Sedis aſſervato deſcriptum, quod eisdem Urbanus VIII. an. 1644. 16ta Junii tradi juſſit, ad os contradicentibus in perpetuum occludendum. Interim ob molitiones defenſorum Janſenii a Miniſtris Regis catholici obtineri non potuit, ut Bulla Urbani VIII. in Belgio ſolenniter promulgaretur; donec Innocentius X. Urbani VIII. ſucceſſor, ipſius Regis catholici juſſu, & cura Leopoldi Archiducis, ad gubernandum Belgium miſſi, id denique an. 1648. evicerit; impoſita etiam lege iis omnibus, qui ad aliquod ſeu civile, ſeu Eccleſiaſticum munus cuperent promoveri, ut propria ſyngrapha teſtarentur, ſe Bullam prædictam Urbani recipere, qua liber Janſenii prohiberetur. Hoc eodem anno Duacenſis Academia ſolenni ad Leopoldum Archiducem Epiſtola doctrinæ in eo libro contentæ, ceu nihil minus quam Auguſtini ſenſa exprimenti, contradixit; petens inſuper ſerio, ut illam pergeret Archidux modis omnibus extirpare, atque ut ab omnibus Theologiæ Profeſſoribus declarationem expreſſam ſubmiſſionis erga Decreta Papæ exigeret.

Inte-

Interim jam inde ab anno 1642. Parisiis quoque Liber Jansenii in Isaaco quidem Haberto Doctore Sorbonico, ac postea Episcopo Vabrensi, gravem accusatorem verbo & scripto, tum vero simul fervidum defensorem in Antonio Arnaldo Doctore pariter Sorbonico, nactus fuerat: cum denique an. 1644. Urbani VIII. Bulla regio mandato ad S. Facultatem defertur; quæ die xv. Jan. suis omnibus mox severe interdixit, ne aliquam ex damnatis a Pio V. & Gregorio XIII. propositionibus propugnarent. Archiepiscopus quoque Parisinus de Gondy 11ma Jan. an. 1645. eam Bullam in omnibus Parœciis promulgari jussit.

An. 1649. ad S. Facultatem delati sunt quidam Baccalaurei, quod theses Jansenianas scripto & verbis publice propugnassent. Ex his sex propositiones in specie delectæ sunt ad examen; ex quibus, resecta ultima, remansere deinde famosæ illæ quinque propositiones Jansenii, etiam Romanis fulminibus toties postea percussæ. Deputati ad examen sententiam & censuras illarum propositionum jam in libello conceptas constituto die offerre S. Facultati paraverant; cum septuaginta omnino Doctores Sorbonici intercedunt, appellatione ad Parlamentum interposita; cujus tribunal cum in tali materia bonæ caussæ defensores ex S. Facultate refugerent, caussa omnis tunc derelicta jacuit. Verum aucta exinde tumultuatione Jansenianorum Præsules Galliæ octoginta quinque consultius fore judicarunt, si caussa hæc tota ad judicium Innocentii X., successoris Urbani VIII., deferretur. Anno itaque 1650. dicti Præsules octoginta quinque eum in finem subscripsere Epistolæ ab Isaaco Habert tunc Episcopo Vabrensi compositæ (quibus postea tres alii se adhuc junxerunt) singuli quidem in particulari, non in aliquo

quo Conventu generali; ut nempe obices, quales S. Facultas experta fuerat, certius declinarent. Rogabant in ea Epiſtola Pontificem, ut ſingulas ex quinque propoſitionibus ad ſe delatis ſpeciali & propria cenſura configeret: ex ejus enim rei neglectu in condemnatione Baji factum eſſe, ut errores à Tridentino Concilio jam prædamnati, & in Bajo rurſus confixi, ſub vario obtentu in dies recoquereutur. Sed ex adverſo undecim alii Epiſcopi, quos Janſenii fautores majorem partem eo ſpecioſo prætextu in ſuam partem traxerant, quod cauſſa hac Romam delata jura Epiſcoporum violata fuiſſent, quibus immediatum primæ inſtantiæ judicium competeret; datis ad eundem Pontificem literis declararunt, ob eam ipſam quidem cauſſam inprimis, non probari ſibi fratrum ſuorum conſilium factumque. Priorem 85. Epiſcoporum Epiſtolam Innocentio reddidit an. 1651. 12. Aprilis Orator ipſe Regis chriſtianiſſimi; alteram poſt 10ma Julii Ludovicus de S. Amore Doctor Sorbonicus, qui ad Jubilæi ſacri indulgentiam lucrandam priore anno Romam contenderat, eidem Pontifici in manus conſignavit.

Innocentius X., nulla habita ratione poſterioris Epiſtolæ (quis enim prohibeat Epiſcopis, ne ſponte ſua, omiſſo proprio in prima inſtantia judicio, cauſſam aliquam mox ad altius & falli neſcium tribunal ſupremi in terris Chriſti Vicarii deferant?) ipſa die, qua priorem Epiſtolam 85. Epiſcoporum acceperat, congregationem quinque Cardinalium doctiſſimorum, & longo rerum uſu exercitatiſſimorum inſtituit, quibus ſubinde ſextus adjunctus eſt. Conſultores deſignati tredecim, duo Theatini, unus e Societate JESU, duo Dominicani, duo Auguſtiniani, duo Minoritæ, duo Carmelitæ Diſcalceati, unus Servita, & unus Capuccinus; qui inter

Italiæ doctissimos numerabantur. Ex his Libro Jansenii favebant ambo Dominicani, nempe Vincentius Candidus Magister S. Palatii, & Vincentius de Pretis Commissarius S. Officii, Generalis Augustinianus Visconti, & Lucas Wadingus Minorita; qui tamen postremus post editam a Pontifice sententiam sincere retractavit. Missis ex Gallia ab utraque parte Episcoporum deputatis libera potestas data est verbo & scripto caussæ suæ momenta exponendi, non tamen publice & solenniter disputandi. Duorum annorum spatio triginta sex congregationibus (quarum ultimis undecim Innocentius X. ipse interfuit) *res ea diligentia discussa est, qua major desiderari non poterat.* Ita Alexander VII., qui unus ex quinque illis Cardinalibus ad hoc examen deputatis fuerat, ipse testatur in Bulla an. 1656. edita; de qua mox dicemus. Tandem Innocentius X. die ultima anni 1653. solenni edita Constitutione, *Cum occasione*, quinque propositiones Jansenii, & singulas quidem singulari ac distincta censura perstrictas, condemnavit. Missa est Bulla ad Ferdinandum Imperatorem, ad Regem christianissimum, ad Reges Hispaniæ & Poloniæ, ad Bavariæ Ducem, ad Imperii Principes, ac Electores Ecclesiasticos, & ad Episcopos Galliæ universos; resque tam secreto simul acta, ut deputati Jansenistarum haud ante notitiam acciperent, quam cum Bulla 9na Junii publice cum solennitate solita affigeretur. Rex christianissimus jussit dictam Bullam primum a S. Facultate theologica promulgari; id quod executioni sic mandatum est, ut simul pœna exclusionis ab eo ordine adversus contumaces statueretur. Idem Rex Edicto hortatus est omnes regni Præsules ad eandem recipiendam & promulgandam. Factum hoc reipsa est primo ab Episcopis numero triginta, Præside Cardinale Mazarino Parisiis con-

congregatis; qui 15ta Julii data ad Innocentium X. Epiſtola, huic ſolennes gratias egere, cum gratulatione, quod, *quemadmodum ad Epiſcoporum Africæ relationem Innocentius I. Pelagianam hæreſin damnavit olim, ſic ad Gallicanorum Præſulum conſultationem hæreſin ex adverſo Pelagianæ oppoſitam Innocentius X. auctoritate ſua proſcripſerit.* Eodem die ſcripſerunt ad omnes regni Galliæ Epiſcopos literas publicas de facta a ſe ſolenni promulgatione Bullæ: atque ita recepta Bulla eſt in Gallia ſine omni contradictione. Idem contigit in Belgio, ubi Bulla die 3tia Novembris Lovanii ſine ullis turbis eſt promulgata.

Janſeniani hac Innocentii X. Conſtitutione veluti fulmine percuſſi, hæſere primo attoniti; moxque extrema omnia adhibuere ad elidendam quocunque modo vim ejuſdem. Inter innumera tamen vaniſſima effugia duo præcipuo quodam modo pertinaciusque urgebant: *primo* quinque illas propoſitiones ſingillatim damnatas non inveniri in Janſenio; & in iſta ceu meri facti quæſtione falli potuiſſe Romanum Pontificem cum Epiſcopis: *deinde* ſaltem non damnatas eſſe in eo ſenſu, in quo Janſenius defenderat. Hoc poſterius effugium ſibi jam aſſecurare durante adhuc Romano examine ſtuduerant, oblato judicibus celebri *ſcripto trium columnarum* dicto; in quo triplicem illarum propoſitionum ſenſum, quem ex mente Calvini, Thomiſtarum, & Moliniſtarum haberent, diſcernendum, & ſolum ſecundum primum Calvini ſenſum damnandas eſſe, admonebant. At enim Præſules Gallicani numero triginta & octo an. 1654. Pariſiis congregati, examine quatuor Archiepiſcopis & totidem Epiſcopis ſuper duabus his capitalibus Janſeniſtarum aſſertionibus commiſſo, poſt accuratam propoſitionum cum Janſenii contextu

comparationem, 28va Martii (subscribentibus nomen suum etiam quatuor Episcopis præsentibus ex illis undecim, qui primo Romano judicio se opposuerant) hæc duo communi suffragio statuerunt: videlicet damnatas ab Innocentio X. propositiones & extare reipsa in Jansenii libro, & in proprio ac naturali sensu, eo ipso nempe, in quo in libro ejusdem asseruntur, & explicantur, damnatas fuisse. De quo suo judicio etiam mox & Innocentium X. Papam specialibus literis, & ceteros omnes Galliæ Episcopos Epistola Encyclica, eodem die edocebant. Sed & Innocentius X. 29. Sept. ejusdem anni Gallicanis Episcopis rescribens, laudato eorum studio, confirmavit, *damnatam* in sua priore Constitutione *fuisse in quinque propositionibus Jansenii doctrinam in ejus Libro* AUGUSTINUS *dicto contentam*. Quod idem Breve anno sequente die 17ma Maji Rex christianissimus jussit promulgari. Et vero frontem perdidisse oportet, ut dubites de his duobus capitibus. Nonne eas propositiones ceu in libro Jansenii contentas, & ideo inprimis turbarum caussam præbentes ad Innocentium Episcopi detulerant, in sensu Jansenii utique singillatim sua debita censura configendas? Nonne relate ad librum Jansenii examen illarum fieri a tredecim Consultoribus Pontifex præcepit? Nunquid hoc ipsum Innocentius mox in principio Constitutionis suæ affirmat?

Interim Innocentio X., die 7ma Jan. 1654. e vivis erepto, succedit die 7ma Aprilis ejusdem anni Cardinalis Chigi, unus ex illis, qui in caussa Jansenii præcipue adhibiti a Prædecessore fuerant; quique Alexandri VIImi nomen assumsit. Huic cum Præsules Gallicani speciali Epistola gratularentur eum apicem honoris 2da Sept. an. 1656., simul significarunt novas Jansenianorum artes & cavil-

cavillationes in eludenda Innocentii Xmi Constitutione. Alexander VII. vero, qui omnium actorum sub Innocentio particeps fuerat, continuo mox sequente die 16. Octobr. ejusdem anni edita nova Constitutione, *Ad S. Petri Sedem &c.*, respondens prædictis Episcopis, de novo *quinque illas propositiones ex libro Jansenii* AUGUSTINUS *excerptas, ac in sensu ab eodem Jansenio intento damnatas declaravit, & inusta eadem singulis nota, iterum damnavit.* Conventus Cleri Gallicani præsentatam sibi die 14ta Martii sequentis anni 1657. hanc Alexandri VII. Constitutionem mox die 17ma ejusdem mensis acceptavit, ejusque executionem omnibus Episcopis in toto regno faciendam injunxit.

Cum vero Janseniani nullo mitiore remedio emendationem admitterent, Rex ipse Ludovicus XIV. Præsules numero quadraginta quatuor mense Decembri an. 1660. congregatos hortatus est, ut mediis efficacissimis conquisitis extirpandæ Jansenistarum sectæ incumberent, oblata ipsis omni regiæ suæ potestatis auxiliatrice energia. Præsules itaque consilium, jam an. 1656. inde a 2da Sept. die conceptum, executioni denique mandaturi 1ma die Febr. an. 1661. decernunt, fidei formulæ secundum tenorem Constitutionum Innocentii X. & Alexandri VII. conceptæ ut subscriberent, omnes Ecclesiasticos in toto regno se obligatos velle, eosque, qui se opponerent, pro hæreticis habendos, & secundum leges canonicas puniendos esse. S. Facultas theologica oblatum sibi 2da Maji decretum hoc continuo acceptavit, & formulæ ab Episcopis propositæ subscribi ab omnibus Doctoribus, Baccalaureis, & Candidatis præcepit. Jansenistæ id genus statuto Inquisitionis tribunal introduci in Galliam clamitabant. Nihilominus eorum pertinacia haud ad aliud nisi ad

accendendum eo amplius christianissimi Regis zelum valuit; qui, ad præcludendam Jansenistis *appellationis ab abusu* coram Parlamentis interponendæ viam, an. 1664. die 19na Aprilis ipse præsens in Senatu jussit in tabulas referri regium decretum, quo subscriptio illius formulæ, a Clero Gallicano conceptæ, Ecclesiasticis cunctis, Secularibus & Regularibus, præscribebatur; sine qua nec ad beneficia, nec ad gradus Universitatum, nec ad præfecturas, vel officia, qui hos gradus requirerent, nec ad professionem religiosam, quisquam imposterum esset admittendus. Die 7ma Junii sequente Perefixius Archiepiscopus Parisinus recens creatus edito Pastorali Decreto in sua Provincia eandem subscriptionem urgebat: in quo occurrens Jansenistarum tergiversationi *de quæstione facti*, animadvertit, *circa factum* hoc, an quinque propositiones damnatæ in Jansenii Libro contineantur, in Constitutonibus Pontificum, & in formula præscripta ab Episcopis, *solum requiri fidem humanam & Ecclesiasticam.* Replicuere mox Jansenistæ pro calliditate solita: neminem obligari posse, ut intellectum suum subjiciat auctoritati tam fallibili, quæ non nisi fidem humanam exigere possit. At enim fallebantur in eo aperte: quod, sicuti auctoritas Ecclesiæ nequaquam mere humana est; quippe quæ etiam in factis dogmaticis definiendis a S. Spiritu regitur: ita nec fides Ecclesiastica, tali auctoritati innixa, errori obnoxia sit (de Loc. theol. §. 112. seqq.).

Cum vero his omnibus machinis adhibitis nondum frangeretur pertinacia plurimorum, formulæ subscribere recusantium, atque non nulli etiam Episcopi protestarentur, se a confratribus obligari non posse, ut formulæ ab ipsis conceptæ subscriptionem in suis diœcesibus urgerent; nisi a Ro-

Romano Pontifice id juberetur, ad quem ſolum pertineret formulas fidei præſcribere: denique 15. Febr. an. 1665. Alexander VII., rogatus a Rege ipſo chriſtianiſſimo, edita Conſtitutione *Regiminis Apoſtolici*, formulam ſequentem juſſit ut omnes Archiepiſcopi & Epiſcopi proponerent ad ſubſcribendum Eccleſiaſticis univerſis, & Religioſis utriusque ſexus, atque Doctoribus &c. *Ego N. Conſtitutioni Apoſtolicæ Innocentii X. datæ die* 31. *Maii anno* 1653., *& Conſtitutioni Alexandri VII. datæ* 16. *Octobris an.* 1656. *ſummorum Pontificum me ſubjicio, & quinque propoſitiones ex Cornelii Janſenii libro, cui nomen Auguſtinus, excerptas, & in ſenſu ab eodem auctore intento, prout illas per dictas Conſtitutiones Sedes Apoſtolica damnavit, ſincero animo rejicio, ac damno, & ita juro: Sic me DEUS adjuvet, & hæc ſancta DEI Evangelia.* Et hanc Conſtitutionem Ludovicus XIV. Rex 29na Aprilis ejusdem anni in Senatu publico ipſe præſens referri in tabulas juſſit, atque per totum regnum promulgari, & ſecundum tenorem ſuum integrum obſervari, pœnis etiam gravibus intentatis, ſi vel Epiſcopus aliquis ejusdem executionem, vel quivis alius ſubſcriptionem formulæ detrectaret. Obedierunt vero mox Decreto Pontificio omnes Galliæ Epiſcopi, quatuor tantum exceptis, qui circa factum ſubſcribere detrectarunt; obſequioſum ſilentium circa hoc ſufficere exiſtimantes: quorum literæ paſtorales an. 1667. die 18. Jan. ab Alexandro VII. damnatæ ſunt, novem Epiſcopis in Gallia a Papa ad Regis ipſius preces nominatis, qui de contumacia illorum Epiſcoporum quæſtionem inſtituerent. Mortuo tamen inter hæc Alexandro VII., Clemens IX. ejus ſucceſſor mox confirmavit nominationem factam. Attamen mora temporis, quæ interceſſit, ſerviit, ut quatuor illi Epiſcopi ſibi novendecim alios ex Galliæ Epiſcopis

conciliarent, qui, insuperhabita sua priore subscriptione, nunc Ecclesiæ infallibilitatem in factis Epistola ad Papam data universe & sine exceptione factorum dogmaticorum abjudicabant. Sed cum novo submisso Brevi Clemens IX. processum instrui contra quatuor Episcopos juberet, & Rex christianissimus eorum machinationibus constanter se opponeret; quatuor Episcopi die 1ma Sept. an. 1668. & sequentibus, datis ad Papam Epistolis contestabantur, quod & ipsi, & subditi ipsorum secundum intentionem S. Sedis Apostolicis Constitutionibus subscripsissent. Fraude vero in hoc usi fuerant. Nam oretenus simul Ecclesiasticis suis, antequam subscribere eos juberent formulæ, declaraverant, *circa factum* Ecclesiam haud ad aliud quam ad religiosum silentium obligare. Nuntius Apostolicus D. Bargellini (incertum, an fraudis istius conscius) simul pacis consilia gravi Epistola Pontifici commendaverat, hortatus idcirco eundem, ut absque retractatione literarum pastoralium id genus nova subscriptione contentus esset; atque ita subreptum Clementi IX. est, ut sibi satisfactum a quatuor Episcopis esse die 28. Sept. ad Regem christianissimum scribens, ab ulteriore inquisitione urgenda in ea caussa desisteret. Cum suboleret autem postea Pontifici, non sincere actum fuisse ab Episcopis; primo attestationem manu eorum propria signatam de sincera sua subscriptione a singulis ad se mittendam imperavit; eaque obtenta dedit nihilominus Nuntio suo mandatum, ut quam occultissime in Episcoporum fidem ac sinceritatem inquireret; responso interea ad eorum Epistolas dilato. At enim Estræus Episcopus Laudunensis, postea Cardinalis factus, cum Episcopis Senonensi & Catalaunensi, quibuscum ex Papæ mandato cum quatuor refractariis Episcopis tractaverat hoc negotium pacis, Rex ipse, Nuntius deni-

denique Apoſtolicus, quisque ſuas atteſtationes quatuor Epiſcopis junxere, quod iſti *fide optima & ſincere damnaverint, & a ſuis damnari juſſerint quinque propoſitiones, absque ulla exceptione ſeu reſtrictione, in eo omni ſenſu, quo ſunt ab Eccleſia damnatæ*: quod vero attineret ad factum, *exhibuiſſe illos ſacræ Sedi omnem obedientiam, quæ huic deberetur.* Hæc ſunt verba Epiſtolæ ab Epiſcopo Catalaunenſii 3tia die Dec. an. 1668. ad Papam datæ; cui ceterorum omnium literæ conſonabant. Interim præter Archiepiſcopum Senonenſem, & Catalaunenſem Epiſcopum, qui a partibus illorum quatuor clam ſtabant, nemo conſcius fuiſſe fraudis videtur. Unde Clemens IX., veluti de ſinceritate ſubſcriptionis ſecurus, miſſo Brevi die 19. Jan. an. 1669. ad quatuor Epiſcopos, pacem & paternam benevolentiam eis reſtituens, ita ſcribit: *Cum ingenti obſequii nobis & huic S. Sedi per vos debiti teſtatione ſignificabatis, vos juxta præſcriptum Literarum Apoſtolicarum ſincere ſubſcripſiſſe & ſubſcribi juſſiſſe Formulario .... Nam Prædeceſſorum noſtrorum Conſtitutionibus firmiſſime inhærentes, nullam circa illud exceptionem aut reſtrictionem admiſſuri unquam fuiſſemus.* In Brevi ad Epiſcopos pacis Mediatores eadem die miſſo ſic loquitur: *Non ſine lætitiæ ſenſu pervidimus ex literis Fraternitatum veſtrarum ... de perfecta & integra obedientia nobis & Apoſtolicæ Sedi præſtita per Epiſcopos Andegavenſem, Bellovacenſem, Apamienſem, & Alectenſem, Formularii ſubſcriptione ſincero animo & juxta præſcriptum Literarum Apoſtolicarum ab eis facta.* Idem fere Papa ſcripſerat ad Regem die 28va Sept. jam an. 1668. Denique Cardinalis Roſpiglioſi Papæ nepos in ſua Relatione hiſtorica de Janſeniſmo teſtatur: *Neque in re tanti momenti quidquam connivere, quin imo acerrime obviam ire decreverat* (Clemens IX.). Patet

tet itaque, quam nullo fundamento ea pacis a Clemente IX. concessione in rem suam postea abusi fuerint; quasi hic ipse tali facto suam de religioso circa factum silentio sententiam ceu restrictionis a quatuor Episcopis adhibitæ probe conscius, approbarit. At enim scomma istud postea ipse Clemens XI. Papa in Constitutione die 15. Junii an. 1705., edita, solenni attestatione de falsitate convicit. Ipsa Universitas Parisina, & singillatim S. Facultas theologica an. 1676. Episcopo Andegavensi constanter se opposuit, cum edito 4ta Maji mandato prohiberet, ne juramentum super quinque propsitionum Jansenii damnatione exigeretur ab utriusque membris sine facti & juris distinctione: nec quidquam profecit Episcopus, etsi expresse ad processus verbales quatuor Episcoporum, ceu ex communi cum Nuntio Apostolico deliberatione institutos, ac proinde intentioni S. Sedis plene conformes, provocaret. Interim ab eo tempore *molliorum Jansenistarum* factio crevit, qui sine scrupulo subscribebant formulæ sine ulla limitatione; etsi interius judicarent, sensum in Jansenii libro expressum non esse hæreticum; rati, quoad hoc sufficere obsequiosum silentium. Contra qui istud sibi licere non credebant, atque idcirco subscribere plane recusabant: *rigidiores Jansenistæ* appellabantur.

Novum obtentum Jansenistæ invenere in Bulla ab Innocentio XII. die 28. Jan. an. 1694. ad Episcopos Belgii missa. Subortis enim an. 1692. in Belgio novis circa Formularii subscriptionem contentionibus, non nulli Episcopi ad omnes fraudes impediendas ad Formularii juramentum additiones quasdam fieri jussere; quibus restrictio ad quæstionem juris, exclusa declaratione circa factum, plane conceptis verbis tolleretur. Missis id-

idcirco ex utraque parte Romam deputatis, Innocentius XII. Bullam illam in Belgium remisit, una cum Brevi die 6. Februarii ejusdem anni subsecuto; in quibus prohibet, *ne Formulario quid adderetur, & ne quis Jansenismi accusari, aut de eo traduci sinatur, nisi prius suspectus fuerit, aliquam ex quinque propositionibus docuisse, aut tenuisse.* Interim innovat præceptum, *ut juramentum ab iis, qui ad id adigendi sunt, præstetur sincere absque ulla distinctione, restrictione, seu expositione, damnando eas propositiones ex libro Jansenii excerptas, in sensu obvio, quem ipsamet propositionum verba præseferunt; prout sensum illum damnarunt summi Pontifices prædecessores nostri.* Triumpharunt denuo in speciem ob hæc facta Janseniani; etsi clam in missis ultro citroque literis ceu de novo vulnere dolerent. Sed omnem exultandi prætextum mox edoctus de hoc Innocentius XII. eis eripuit submisso alio Brevi die 24. Nov. an. 1696. ad Episcopos Belgii dato; in quo scribit: *se mirari satis non potuisse, reperiri non nullos, qui ausi fuerint affirmare, supradicto nostro Brevi alteratam seu reformatam esse Alexandri VII. Constitutionem, nec non Formularium ab ipsomet pronuntiatum; cum dicto Brevi utrumque specifice confirmetur, & in omnibus & singulis ejusdem partibus ad amussim observari mandetur, nec illud alterari in aliqua ejus minima parte voluerit.* Porro omnia id genus effugia ex factis huc usque narratis a Jansenianis captata, & in Præfationem libri collecta, cui titulus, *Augustiniana Ecclesiæ Romanæ doctrina &c.*, in quo & *Jansenismus pro phantasmate, nuspiam reperto, nisi in laboranti quorumdam cerebro*, exprædicabatur, anno 1700. Clerus Gallicanus in generali Conventu congregatus die 4. Sept. gravissimis sub censuris condemnavit.

An.

An. 1701. prodiit in lucem famosus *casus conscientiæ*. Inducitur in eo nescio quis Clericus, cui absolutio sacramentalis negata fuerit, eo quod declarasset, *se revera quinque propositiones simpliciter & absolute damnare, ac formulæ fidei Alexandri VII. subscripsisse quidem: nihilominus quantum ad quæstionem facti existimare se, religiosum silentium sufficere.* Prodiit is primum Leodii impressus typis, & hoc anno 20. Julii quadraginta Doctores Theologi Parisienses, quorum aliqui minus docti non sine malis artibus ad hoc inducti fuerant, subscripsere responso, quo talis Clerici *sententia nec nova esse, nec singularis, nec ab Ecclesia damnata, neque talis dicebatur, ut confessarius possit ipsi sacramentalem denegare absolutionem, nisi eam retractaverit.* Triumphabant Janseniani aliquamdiu de tanta sibi adstipulante auctoritate. At mox deferbuere animi; cum istam dicti casus decisionem Clemens XI. Papa an. 1703. 13tia Febr. dato Decreto, & paullo post die 22da Febr. ejusdem anni Cardinalis Noallius Archiepiscopus Parisinus, censoria virga graviter perstrinxere. Revocavere mox responsum judicio hujus Præsulis adacti Theologi Parisini, uno solum excepto, qui in pœnam contumaciæ e Doctorum catalogo S. Facultatis sententia expunctus est.

Secuta demum an. 1705. 15. Jun. ejusdem Clementis XI. solennis Constitutio, cujus initium est *Vineam Domini Sabaoth*; in qua omnes Constitutiones Pontificiæ huc usque editæ in caussa Jansenii renovantur, a pravis Jansenianorum exceptionibus & interpretationibus vindicantur; religiosum silentium illorum aperti perjurii solennis arguitur; nec eodem conscientiæ satisfieri, sed quemque ad hoc obligari Constitutionibus Pontificiis declaratur, ut subscribens *non solum ore, sed corde sensum quin-*

quinque propositionum in Libro Jansenii expressum, ut hæreticum damnet, ita, ut, qui secus senserint, verbo, vel scripto docuerint, tanquam præfatarum Constitutionum transgressores, omnibus illarum censuris & pœnis subjaceant. Recepta solenniter hæc Bulla est tum a Clero Gallicano in Comitiis generalibus congregato an. 1705. Parisiis, tum a singulis regni Episcopis, & in singulis diœcesibus istorum promulgata; atque sic profecto caussa finita, nullo prorsus effugii loco relicto.

Sed resuscitati sunt brevi post novi tumultus ex occasione libri a *Paschasio Quesnello* editi. Erat is Presbyter Oratorii Gallicani, a Petro Berullo, postea Cardinale, instituti. Sed cum Superiores Oratorii an. 1678. prohibuissent suis defensionem omnem Baji & Jansenii, & Formularii Alexandri VII. subscriptionem sinceram urgerent, dimisso Oratorii habitu in Belgium profugit, & Bruxellis cum Arnaldo per aliquos annos latens pestiferam doctrinam Jansenii pro viribus disseminavit. Idcirco Belgio exire jussus, sed ex intervallo redux Bruxellis captus est. Tandem fuga iterum elapsus Amstelodamum petiit, anno 1719. ibidem mortuus. Scripserat anno 1699. *Reflexiones morales in novum testamentum*; in quibus, exquisito in inferendis sub devotionis specie erroribus artificio, Calvini, Baji, & Jansenii perversa dogmata omnia instauravit. Damnatus is liber est an. 1708 a Clemente XI. per Bullam, quæ incipit, *Universi Dominici gregis.* Cum autem generalis damnatio non satis proficeret ad tollendum virus; idem Pontifex an. 1713. excerptas ex eo libro propositiones centum & unam variis censuris damnavit ceu respective falsas, impias, hæreticas &c., edita ad preces Regis christianissimi prævias celeberrima Constitutione *Unigenitus DEI Filius &c.* Quæ Bulla

(exce-

(exceptis, quæ Noallius Parisinus Archiepiscopus & Cardinalis cum septem aliis Galliæ Episcopis adhuc per quatuordecim annos excitavit, turbis) ab omnibus Galliæ Episcopis reliquis ultra centum numero solenniter recepta & promulgata fuit; relata etiam in tabulas Regis mandato a Senatu supremo 15ta die Jan. an. 1714., & 5ta Martii anni ejusdem a Sorbonna. Eadem promulgata & recepta est in Hispania & Lusitania. In Sabaudia & Siciliæ regno non obstantibus controversiis, quæ tunc inter Aulam Pontificiam & Regem Siciliæ, (qui tunc temporis Dux Sabaudiæ erat) obtinebant, in Senatus regii tabulas relata est. In Germania constat de promulgatione solenni facta per Episcopos Moguntiæ, Trevirorum, Coloniæ, Hildesii, Würceburgi, Leodii, Osnabrugæ, Paderborni, Monasterii, Ratisbonæ, Constantiæ, Basileæ, & totius Belgii catholici. Nec eidem Constitutioni ullus Episcopus catholicus ex ceteris Europæ regnis, præter octo illos Galliæ Episcopos Noallio adhærentes, & Atrebatensem in Belgio, contradixit. Nulla item in Germania, Hungaria, Polonia, & Italia Universitas est, quæ non cum Romano Pontifice in hac tota caussa plenissime consenserit.

Consensus iste orbis totius catholici effugium haud porro relinquere Jansenianis videbatur. Invenere illi tamen aliquod in appellatione ad Concilium generale; quam Quesnellus ipse quarto ante obitum suum die, vocatis ad hoc ex proposito duobus testibus, scripto innovavit. Interim etiam adversus hujus novi & ultimi tribunalis fulmina se jam provido consilio munierunt; docentes, etiam in Concilio generali definitivam sententiam, quæ scilicet ad submittendum proprii intellectus judi-

judicium abſolute obliget, non niſi per unanimia Epiſcoporum ſuffragia, aut fere unanimia, ferri poſſe.

282.

Syſtema doctrinæ Janſenii. 1.) Fundamentum errorum omnium conſtituit male intellectum S. Auguſtini effatum in cap. V. Epiſt. ad Galat.: *Quod amplius nos delectat, ſecundum id operemur neceſſe eſt.* Dictum hoc rectiſſime pronuntiat, ſi cum S. Auguſtino id affirmari intelligas de amore complacentiæ deliberato, eoque prædominante, & ſatis efficaci imperio imperante alios ex eo conſequentes affectus deliberatos, ſeu voluntatis actus (Eth. univ. chriſt. §§. 62. 67. VII. 84. item ibid. 285. not.). Amore enim finis alicujus ſemel efficaciter & libere concepto, uſus mediorum, quæ in poteſtate ſunt, deinceps non niſi mediate liber eſt, & ex amore finis neceſſitate conſequitur. At enim Janſenius per *delectationem* majorem intelligit motum animi indeliberatum, quo appetitus fertur in aliquod objectum ſibi jucundum; affectu complacentiæ & deſiderii. 2.) *Duplicem* porro docet in ſtatu naturæ lapſæ exiſtere in homine *delectationem*, *cœleſtem*, & *terrenam*: illa conſiſtit in amore boni veri, ſpiritualis, & ſupernaturalis, & eſt *Gratia Chriſti medicinalis in lege nova*: iſta eſt concupiſcentia, ſeu fomes peccati, & conſiſtit in amore boni apparentis, terreni, & naturalis. Hinc in nova lege Gratia Chriſti non ſunt timor & alii affectus moleſti; hæc enim erat *Gratia veteris legis.* 3.) Delectationes iſtæ in ſe mutuo & in voluntatem agunt ſicut duo pondera in bilance. Quæ gradu intenſior eſt, ſecundum proportionem exceſſus vincit, & trahit poſt ſe *actum* voluntatis deliberatum. Si æquales ſunt,

ſunt, voluntas manebit in æquilibrio; quia ſe ipſam determinare non poteſt. Hic autem caſus non contingit; quia ſi una eſt vel modico altera intenſior, jam vincit iſtam. Quodſi cœleſtis delectatio gradu terreſtrem excedat; *Gratia victrix* appellatur. 4.) Interim tamen nulla ex his delectationibus unquam caret omni effectu; ſiquidem etiam minor delectatio imperfectos quosdam & inefficaces voluntatis actus determinat; nimirum cœleſtis motus quosdam pios debiles, quas velleitates vocant, ſine tamen perfecto conſenſu; & viciſſim. Unde in hoc ſenſu *omnis gratia* & cœleſtis delectatio *efficax ſecundum quid* ex mente Janſenii *eſt*; quia effectum, ad quem determinandum in præſente cum oppoſita delectatione terrena concurſu valet, ſemper obtinet. *Non tamen omnis Gratia victrix eſt*: & *Gratia ſimpliciter efficax* non eſt niſi delectatio cœleſtis intenſior quam terrena. 5.) *Neceſſitatem delectationis cœleſtis victricis* in præſente ſtatu naturæ lapſæ Janſenius *non ex natura* voluntatis, ſed *ex præſente* ipſius *infirmitate* poſt peccatum originale, proficiſci affirmat, & ex libidinis imperio, quo nunc in omnibus actionibus ante Gratiam delectatione quadam libidinoſa præeunte ac prædominante voluntati rationali provocatur ad peccandum (id quod in ſtatu originalis integritatis locum non habuerit) & ad quam libidinem vincendam medicinale delectationis cœleſtis victricis adjutorium neceſſarium eſt. 6.) Porro *eandem Gratiam*, ſeu delectationem cœleſtem ſub eodem gradu intenſionis, *modo poſſe eſſe victricem*, docebat; ſi nimirum in præſens concurrat cum concupiſcentia minus intenſa; *modo non victricem* (quam vulgo *parvam Gratiam* appellabat) ſi concurrat cum concupiſcentia ſeu delectatione terreſtri intenſiore: & viciſſim, *quæ nunc Gratia parva eſt*, *poſſe alias eſſe victricem*. 7.) *Nulla* autem

tem

tem secundum Jansenium *datur Gratia pure & vere simul sufficiens*, seu pure & relative sufficiens (258. not. 2.). Hæc enim fatente Jansenio non est nisi ea, qua data voluntas potest vincere concupiscentiam actu oppositam: atqui ad hoc necesse est, ut sit intensior: quo posito jam non est pure sufficiens, sed simpliciter efficax & victrix. Certe conceptis verbis in L. 4. de Gratia Christi c. 10. sic habet Jansenius: *Sexto. Hinc etiam claret, cur Augustinus omnem omnino Gratiam pure sufficientem, sive ante, sive etiam post fidem auferat.* Ubi & rationem mox eam ipsam addit, quam modo dixi. 8.) Tenet tamen, *Gratiam* etiam *parvam esse absolute sufficientem*, non quidem relate ad concupiscentiam actu præsentem intensiorem, sed pro alio casu concurrentis secum concupiscentiæ parvæ minusque intensæ. Et hoc pallio Janseniani, cum opus erat, potissimum tegebant errorem suum. Dissimulaturi enim hæresin, cum ipsis objiceretur, in ipsorum systemate hominem justum, parva solum Gratia instructum, non habere sufficientem & completam potentiam seu facultatem servandi mandata DEI; respondebant: omnino habere *potentiam sufficientissimam & completissimam.* Sed intelligebant *absolute talem*, & pro casu alterius concurrentis concupiscentiæ minus intensæ, non relative talem & pro præsenti istius intensione. 9.) Ex his porro inferebat, *hominem in statu naturæ lapsæ, quidquid velit, semper velle ex necessitate antecedente:* quia semper vult ex delectatione majore indeliberata; quæ vincendo minorem, necessitat ad volendum a priori. 10.) Nihilominus docebat, *hominem libere velle & agere, libertate* nempe *solum a coactione, non indifferentiæ;* eo ipso, quod agat voluntarie, sponte ac deliberate. Hinc, ajebat, *beati liberrime DEUM in cælo amant*: quia ex delectatione maxima agunt, &

& maxime voluntarie. 11.) *Hominem* denique tamen *esse liberum a necessitate inflexibili*, id est, non esse ita necessitate antecedente determinatum ad bonum, vel malum, ut non ad oppositum flecti in alio casu deinceps per vitam possit.

283.

Ex hoc systemate quinque propositiones Jansenii, ex ejus libro Augustinus *excerptæ, & pro hæreticis damnatæ a Pontificibus Romanis & a tota Ecclesia, per modum totidem Corollariorum consequuntur.* Propositio I.: *Aliqua DEI præcepta hominibus justis volentibus, & conantibus, secundum præsentes, quas habent, vires sunt impossibilia: deest quoque illis gratia, qua possibilia fiunt.* Hæc propositio his ipsis conceptis verbis legitur apud Jansenium L. III. de Gratia Christi cap. 13. Eo ipso vero in loco cit. Jansenins ipse hanc rationem ex generalibus sui systematis principiis affert, nempe: quia etiam justi sæpe, utut parva gratia adjuti velint servare mandata DEI, & pro ejus magnitudine conentur, tamen *ob libidinum internarum & consuetudinum arctissimarum pertinacem resistentiam opus est delectationis cælitus inspiratæ magnitudine: has autem vires ad faciendum, quod præcipitur, hominem etiam fidelem & justum non semper habere integras.* Mox addit, S. Augustinum docere, *S. Petrum propter defectum virium voluntatis præstare non potuisse, quod promiserat: voluntas enim ejus, hoc est, vis volendi divinitus ei data, adhuc parva erat: quam oportebat esse maximam, ne mortis oblatæ terrore frangeretur.* Unde sensus propositionis damnatae est: Aliqua DEI præcepta hominibus justis, sola gratia parva, qua eliciunt quosdam actus infirmos, instructis, delectatione

tione vero cœlesti vincente concupiscentiam oppositam destitutis, nec istam acquirere valentibus, sunt impossibilia impossibilitate antecedente, relativa, non tamen inflexibili (præc. n. 11.). CENSURA Pontificia sic habet: *Hæc propositio temeraria, impia, blasphema, anathemate damnata, & hæretica declaratur, & ut talis damnatur.* VERITAS ergo CATHOLICA contradictione errori opposita hæc est: *Nulla DEI præcepta, actu obligantia, hominibus justis volentibus & conantibus secundum præsentes, quas habent, vires impossibilia sunt; neque illis deest Gratia vere sufficiens, qua complete possibilis fiant etiam relate ad circumstantias repugnantis actu concupiscentiæ.*

PROPOSITIO II. *Interiori Gratiæ in statu naturæ lapsæ nunquam resistitur.* Hæc non quidem conceptis verbis, attamen quoad rem & sensum, continetur in Jansenii L. II. de Gratia Christi c. 27. *Considerandum est*, inquit, *multiplices esse divinæ Gratiæ effectus, quemadmodum & voluntatis. Est enim velle perfectum; est & imperfectum, quod velleitatem appellare solent: & hoc ipsum diversos gradus habet; donec ad ipsam primam tenuissimamque boni complacentiam veniatur. Hæc ergo primus est cælestis illius roris effectus, quem ut minimum in omnibus operatur.* Tum vero ibidem concludit: *Nullam Augustinus agnovit actualem Christi Gratiam*, quam efficacem, *nec agnoscere potuit; nisi regulas omnes fundamentales, quibus innixus naturam Gratiæ medicinalis tradidit, velit interimere.* Et cap. 25. S. Augustinum tenuisse ait, *Gratiam nunquam carere effectu suo.* Denique cit. Lib. cap. 24. docet *Gratiam* in statu naturæ lapsæ *tollere omnem voluntatis resistentiam.* Porro Lib. X. cap. 7. hujus propositionis hanc *ex suis principiis* rationem reddit ipse Jansenius. *In universis operibus ejus* (Augu-

 stini)

stini) *non est vestigium, quod Christi Gratia cuiquam sit incongrua; sed omnis congrua est: omnis operatur, ac perficit suum effectum. Omnis enim delectat voluntatem, & omnis hoc ipso ad operandum effectum illum, ad quem datur, trahit.* Itaque SENSUS PROPOSITIONIS DAMNATAE est: In statu naturæ lapsæ Gratia interior semper efficit in nobis omne bonum, quod efficere potest in eo concursu delectationis terrestris, in quo datur, & nunquam frustratur eo effectu, ad quem in præsens efficiendum conceditur. Ubi nota: *resistere Gratiæ in sensu Jansenii* non posse idem esse ac Gratiam non assequi effectum, quem posset habere in aliis circumstantiis, vel concupiscentiam pugnare cum Gratia: nam sic omni Gratiæ, parvæ, & efficaci, resisteretur, nec serio affirmare contrarium Jansenius in hac secunda propositione potuisset. Unde resistere Gratiæ secundum ipsum Jansenium est, opponere eidem contrariam actionem, ita, ut non sortiatur effectum, quem posset per se antecedenter habere in præsentibus circumstantiis. CENSURA est: *Hæc propositio hæretica declaratur, & ut talis damnatur.* Unde VERITAS CATHOLICA consequitur: *In statu naturæ lapsæ homines aliquando resistunt Gratiæ interiori, eamque frustrantur effectu, quem habere potest in eo repugnantis concupiscentiæ concursu, in quo actu datur.*

PROPOSITIO III. *Ad merendum & demerendum in statu naturæ lapsæ non requiritur in homine libertas a necessitate, sed sufficit libertas a coactione.* Etiam hæc non conceptis verbis, sed quoad rem tamen invenitur in Libro Jansenii. Nam L. 6. de Gratia Christi cap. 34. docet: *In Angelis & primo homine viatore indifferentissimum fuisse liberum arbitrium ad bonum & malum . . . In hominibus lapsis non solum coactionis expertem esse libertatem, sed*

sed etiam necessitatis immutabilis voluntariæ, hoc est, eam ad utrumque (bonum & malum) *indifferentem esse* (id est, flexibilem secundum dicta §. præced. nro 11.) *fatemur perlibenter.* Lib. 4. de statu naturæ lapsæ cap. 24. ait: *Hic* (id est, in præsente vita) *etiamsi ille perversus amor sui* (id est, delectatio terrestris) *ex quo omnis actus, vel omissio, damnatæ voluntatis fluit, non solum specificatione, ut nunc est, sed etiam exercitio, quemadmodum amor beatificus esset necessarius; non tamen ex Augustini mente desineret esse liber.* Et rursus L. 6. cap. 6. *Consectaneum est, omnem omnino voluntatem, quantumcunque ad unum determinatam, nulla tali necessitate, qua dicitur necesse esse, ut velit, desinere esse liberam; quia non desinit esse voluntas . . .* Et postea: *Sicut libertas esse non potest sine voluntate; ita nec voluntas ulla sine arbitrii libertate.* Ubi evidenter Jansenius (sicut mille aliis locis) idem ait esse voluntarium & liberum, & neutri necessitatem repugnare, sed utrique essentialem esse. Sequitur vero hæc propositio evidenter ex principiis Jansenii. Nunquam enim aliquid volumus, nisi vel ex victrice cœlesti, vel ex prævalente terrestri delectatione; & quod amplius nos delectat, secundum id, fatente ipso, operari necesse est. Ergo quidquid volumus, necessitate volumus. Volendo tamen bonum ipso concedente meremur; volendo malum, demerito involvimur & pœnæ æternæ reatu. Ergo &c. Sensus itaque propositionis damnatae ex mente Jansenii est: In statu naturæ lapsæ ad merendum bene & male non requiritur libertas a necessitate relativa & flexibili; sed sufficit libertas a coactione, & necessitate inflexibili, modo actus sit deliberatus & voluntarius. Neque enim assentiebatur Jansenius Luthero & Calvino etiam in eo, quod etiam actus indeliberati, ac proinde nec voluntarii, sed solum

ſpontanei, ſint meritorii, vel demeritorii. Interim nec Calvinus, nec Lutherus aliam libertatem in homine negarunt, quam libertatem indifferentiæ: cum utique tam ſtolidi non eſſent, ut negarint actiones voluntatis noſtræ eſſe voluntarias. Censura. *Hæc propoſitio hæretica declaratur, & ut talis damnatur.* Eandem jam tulerat ſententiam Tridentinum damnans eandem hæreſin in Calvino & Luthero Seſſ. VI. Can. 4. & 6. Unde Veritas catholica eſt: *Ad merendum & demerendum in ſtatu naturæ lapſæ non ſufficit libertas a coactione, & a neceſſitate inflexibili, ſed requiritur etiam libertas a neceſſitate actuali & relativa ad præſentem actum.*

Propositio IV. *Semipelagiani admittebant prævenientis Gratiæ interioris neceſſitatem ad ſingulos actus, etiam ad initium fidei: & in hoc erant hæretici, quod vellent eam Gratiam talem eſſe, cui poſſet humana voluntas reſiſtere, vel obtemperare.* Hæc propoſitio apertiſſime & pœne his ipſis, imo multo ſignificantioribus verbis a Janſenio traditur L. 8. de hæreſi Pelag. cap. 6. 7. & 8. Sequitur vero ex principiis Janſenii, Semipelagianos inprimis erraſſe in eo, quod Gratiam, a S. Auguſtino etiam ad initium fidei requiſitam, eo præciſe argumento rejecerint, quod putarent, ea admiſſa conſequi neceſſitatem agendi in homine, qui illam accipit (264. not. 6. nro 3.). Ut autem ſingula convenirent, affinxit Janſenius Semipelagianis factum illud falſo, quod tamen unice requirebat ab eis Auguſtinus, nempe quod Gratiæ interioris neceſſitatem etiam ad initium fidei admiſerint; quodque Auguſtinus non *Gratiæ neceſſitatem*, ſed *Gratiæ neceſſitantis exiſtentiam* admittendam ab ipſis unice expetierit. Obtentum iſtius mendacii Janſenius in eo habuit, quod Semipelagiani deinceps Augu-

Auguſtino, de Gratiæ efficacis & perſeverantiæ ſpeciali dono cum ipſis diſputanti, Prædeſtinatianismum, id eſt, Gratiæ vere neceſſitantis aſſertionem, imputarint (Tract. de DEO §. 97. not.). SENSUS PROPOSITIONIS DAMNATAE eſt: Semipelagiani erant hæretici in eo, quod rejecta delectatione cœleſti victrice, voluntatem neceſſitante, ſolum admiſerint Gratiam, cui voluntas humana poſſet reſiſtere fruſtrando eam proprio ſuo effectu actus boni meritorii, ad quem ordinatur; vel obtemperare. CENSURA. *Hæc propoſitio falſa, & hæretica declaratur.* Vide dicta §. 261. not. ult. Ergo VERITAS CATHOLICA eſt: *Non in hoc erant hæretici Semipelagiani, quod rejecta Gratia neceſſitante voluerint Gratiam efficacem talem eſſe in ſtatu etiam naturæ lapſæ, cui voluntas relate ad præſentes circumſtantias poſſit diſſentire, vel conſentire.* FALSITAS autem HISTORICA eſt, *quod Semipelagiani admiſerint neceſſitatem Gratiæ interioris non neceſſitantis etiam ad initium fidei.*

PROPOSITIO V. *Semipelagianum eſt dicere, Chriſtum pro omnibus hominibus mortuum eſſe, aut ſanguinem fudiſſe* Hæc apertiſſime exprimitur a Janſenio L. 3. de Gratia Chriſti cap. 21.; ubi negat, Gratias ſufficientes omnibus dandas recte probari ex eo argumento, *ad nauſeam a Maſſilienſibus præcipue inculcato, quod Chriſtus pro omnibus omnino mortuus ſit, & ſanguinem fuderit;* cum hoc potius *tanquam errorem a fide catholica abhorrentem,* una cum *Gratiæ ſufficientis omnibus præparatione reſpuerint Auguſtinus, Proſper, Fulgentius, & antiqua Eccleſia, velut machinam a Semipelagianis introductam.* Eadem aſſertio *ex principiis* ceteris *Janſenii* ultro conſequitur. Cum enim delectatione cœleſti victrice deſtituti ad finem usque peccatores perſeverent in malo neceſſario; Gratia ſuf-

ficiente ad perseverandum in bono, aut ad resurgendum a malo omnes illi carebunt; nec proinde serio illorum salutem DEUS vult, nec pro eadem serio promovenda Christus mortem suam Patri divino obtulit. SENSUS DAMNATUS Jansenii est: Christus tantum pro salute Prædestinatorum mortuus est, non pro iis, quos, dono ad perseverantiam sufficiente eis negato, reprobavit. CENSURA. *Hæc propositio falsa, temeraria, scandalosa, & intellecta eo sensu, ut Christus pro salute duntaxat Prædestinatorum mortuus sit, impia, blasphema, contumeliosa, divinæ pietati derogans, & hæretica declaratur, & ut talis damnatur.* Ergo VERITAS CATHOLICA est: *Non pro solis Prædestinatis Christus est mortuus, sed ad Gratias sufficientes ad salutem etiam reprobis saltem aliquibus promerendas mortem suam obtulit.* FALSITAS præterea HISTORICA saltem est, *a mente totius Ecclesiæ quid alienum, & solis Semipelagianis proprium quid asserere eos, qui tenent, Christum pro omnibus esse mortuum.*

* Ceterum *hoc omne suum systema Jansenius solum propugnabat pro statu naturæ lapsæ; non pro statu naturæ humanæ integræ, nec pro statu viæ Angelorum.* Pro utroque enim hoc primo statu naturæ angelicæ & humanæ admittebat, ob absentiam rebellis concupiscentiæ, haud opus fuisse Gratia per se efficaci delectationis victricis cœlestis, sed solum Gratia simpliciter sufficiente & indifferente, quam *versatilem* & Molinisticam vocat. Unde ex ejus mente, & convenienter huic principio, *in Angelis & primo homine viatore liberum arbitrium indifferentissimum fuit ad bonum & malum;* uti loquitur L. 6. de Gratia Christi cap. 34.: ac proin reipsa Gratia, quam habuere Angeli rebelles & Adamus, cum peccarent, fuit vere, pure tamen, sufficiens; & ipsa gratia, qua in bono perseverarunt boni Angeli, talis fuit, cui poterant isti resistere.

* * Hoc

* * Hoc *systema Jansenii*, præterquam quod *hæreses* ab Ecclesia universali jam condemnatas contineat, ut ex dictis §§. 281. 283. liquet, *multa insuper aperte falsa adstruit.* Nam 1.) docet Jansenius, omnem Christi Gratiam in nova lege in delectatione cœlesti, seu inspiratione supernæ caritatis, consistere. Atqui hoc certe falsum, imo hæreticum est. Cum & definitum ab Alexandro VII. & a Tridentino (Sess. XIV. cap. 4. & Can. 5.) sit, etiam timorem divinæ justitiæ & attritionem ex solo gehennæ metu conceptam esse *donum Spiritus sancti, nondum quidem inhabitantis animam, sed moventis.* Pariter experientia certum est, homines non sola delectatione aut cupiditate boni delectabilis, sed etiam per timorem & fugam malorum ac molestiarum, insultationum, dolorum, & ipsius mortis, trahi ad peccandum. 2.) Falsum est, hominem inter contrarias delectationes non posse unam præ altera proprii arbitrii libertate eligere. Quorsum enim S. Augustinus & SS. Patres omnes adhortantur nos, ut delectationi carnis præferamus delectationem mentis? Quo pacto recte corripi nos ob peccata defendit contra Semipelagianos S. Augustinus, si a delectatione terrestri involuntaria & indeliberata rapimur ad malum: deficiente æque fine omni arbitrio nostræ voluntatis delectatione cœlesti victrice? Nunquid cum Semipelagianis dicere possemus: Non corripiant nos superiores nostri; sed orent DEUM, ut det nobis delectationem victricem. 3.) Sequeretur ex hoc systemate, nec Adamum, nec Angelos, in primo illo felici originalis justitiæ statu peccare potuisse. Cum enim non inficeretur ille status ea libidine prædominante voluntati rationali; ob quam in præsente statu naturæ lapsæ necessariam esse dicit Jansenius victricem delectationem cœlestem (282. n. 5.); sed potius delectatio cœlestis & ipsa voluntatis rationalis vis prævaleret: peccare, id est, delectatione terrestri abripi, vel non rapi a delectatione cœlesti, plane non po-

I 5 tuis-

tuissent. Vel quæro saltem: cum & in illo felici statu Angeli & primus homo liberi, & quidem libertate indifferentiæ fuerint fatente Jansenio; adeoque cum motiva contraria, id est, delectationes ex adverso positæ, eos ad obediendum DEO, & ad peccandum simul allicerent: *an delectationes istæ* utrinque *pares* ex asse, *an major una, minor altera* ex opposito stans, fuere? *Si pares*: nihil agere, nec bonum, nec malum, per Jansenium potuere: vel certe admittere debebit; etiam in præsente statu pares esse posse delectationes, cœlestem & terrestrem, & nihilominus electionem cum libertate indifferentiæ locum habere posse. *Si inæquales*: ergo *vel major fuit delectatio cœlestis?* & peccare nec Adam, nec Angeli potuere: *vel major terrestris?* ergo nec Angeli cum Adamo libertate indifferentiæ, seu a necessitate, sub gratia versatili gavisi sunt; frustraque tenet Jansenius hoc discrimen utriusque status a S. Augustino apertissime assignari.

* * * Sed denique præcipuus error geminus, ac *duæ assertiones hæreticæ* in hoc systemate, refutandæ sunt; quarum *prima* est, hominem in hoc statu naturæ lapsæ bene & male mereri sine libertate a necessitate; qui error in secunda, tertia, & quarta ex quinque propositionibus damnatur; atque istum refutavi in Ethica christ. univ. inde a §. 545., ceu primis morum principiis adversantem: *altera* est, qua negat Gratias vere, pure tamen, sufficientes etiam justis hominibus, cum peccant, ad observanda DEI mandata actu obligantia concedi; ad quem referenda propositio prima & quinta ex damnatis: & hunc errorem in præsens refutare aggredimur. Ubi illud præterea adnotare operæ pretium est, Jansenium (excepto novo principio de *delectatione victrice*; cui Calvinus *illustrationem* in explicanda natura Gratiæ Christi substituit) suo in systemate omni quoad rem & substantiam cum Calvino plane convenire. Ab utroque enim

nega-

negatur in statu naturæ lapsæ libertas a necessitate: secundum utrumque voluntas sic determinatur ad bonum & malum, ut resistere ipsa non possit: uterque asserit libertatem a coactione sufficere ad meritum & demeritum &c.: uterque negat, DEUM velle sincere omnes salvos facere: nihil denique assignari discriminis potest; in quo Jansenius circa substantiam Gratiæ non conveniat cum Calvino pridem damnato. Sed jam erroribus enumeratis, ad prosequenda Ecclesiæ dogmata circa Gratiam actualem internam stylum transferamus.

284.

Dari etiam in statu naturæ lapsæ Gratiam prævenientem internam vere, relative, & tamen pure sufficientem, fidei catholicæ dogma est. Probatur 1.) EX SS. SCRIPTURIS. *a*) Isai. V. 3. DEUS ita conqueritur: *Nunc ergo habitatores Jerusalem, & viri Juda! judicate inter me & vineam meam. Quid est, quod debui ultra facere vineæ meæ, & non feci? Expectavi, ut faceret uvas; & fecit labruscas.* Et v. 7. *Vinea hæc Domini exercituum domus Israel est, & vir Juda; & expectavi, ut faceret judicium; & ecce iniquitas; & justitiam; & ecce clamor.* Ex quo patet, per *uvas* intelligi opera bona, & per *labruscas* opera mala. Quid porro fecerit vineæ suæ Dominus, ipse explicat loc. cit. v. 2. seqq. *Et sepivit eam, & lapides elegit ex illa* (id est, lapidibus purgavit), *& plantavit eam &c.*: per quæ ex omnium interpretum mente intelliguntur Gratiæ internæ & externæ viris Juda ad bene operandum concessæ. Jam vero hoc loco DEUS aperte testatur, se populo judaico contulisse ad bona ac salutaria opera proferenda Gratias plene, vere, ac relative sufficientes, simulque pure sufficientes eas & sine fructu conveniente fuisse in Ju-

Judæis. Loquitur enim de talibus a se concessis Gratiis, quarum ope sic potuissent Judæi bene operari, ut & ipse merito potuerit bona opera ab eis exigere, & expectare, & nequaquam penes ipsum steterit aliqua caussa, cur non actu fructus bonorum operum protulerint; ex quibus tamen ipsi nullum fructum talis boni operis protulerint: id quod solis ipsis imputat. Atqui nisi dedisset sufficientes Gratias, & quidem vere & relative sufficientes; profecto dicere non potuisset: *Quid ultra debui facere*, ut jure *expectare* possem *uvas*? Debuisset enim ultra absolute sufficientes Gratias adhuc dare etiam relative sufficientes, si serio optaret, & jure exigere vellet uvas bonorum operum: cum id, quod in potestate Judæorum relate ad præsentes circumstantias singulorum operum non esset, jure ac prudenter exigere ac expectare non potuisset. *b*) Matth. XXIII. 37.: item de Judæis sui temporis Christus contestatur: *Quoties volui congregare filios tuos; quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas; & noluisti.* Ubi rursum Dominus studiositatem suam in impellendis Judæis ad salutaria opera per gratias suas explicat per sollicitudinem gallinæ circa pullos suos, & omnem rationem non consecuti boni effectus Judæis solis imputat. Ergo profitetur, se eis contulisse Gratias vere & relative sufficientes, & tamen has sine fructu mansisse pure sufficientes. *c*) Denique apud Oseam XIII. 9. DEUS absolute testatur: *Perditio tua Israel* (id est, *ex te est*): *tantummodo in me auxilium tuum.* Ubi DEUS sane omnem a se caussam ruinæ Israelis removet, & in solum Israelem refundit; ac proinde hoc ipso affirmat, se auxilium ei vere & relative sufficiens, & tamen ex ejus culpa carens effectu, contulisse.

Proba-

Probatur 2.) EX SS. PATRIBUS, ex quibus *Græcos* quidem nobis omnes adſtipulari Janſenius ipſe fatetur, eos idcirco Semipelagianismi accuſans. Et enimvero *SS. Baſilius*, *Chryſoſtomus*, *Cyrillus Alexandrinus*, cum *S. Hieronymo*, citatum Iſaiæ locum ex cap. V. uno ore interpretantur eo ſenſu, quo dixi. Ex *Latinis S. Hieronymus* in Pſalm. CXL. ſic exclamat: *O infeliciſſimum humanum genus, qui peccata excuſamus, dicentes: victus ſum a natura: cum in poteſtate noſtra ſit & peccare, & Domino adjuvante non peccare.* Atqui ſola Gratia parva ſuppetente non eſt in poteſtate noſtra non peccare. Sed præ omnibus, quem unum ſuſpicit Janſenius, audiamus *S. Auguſtinum*. Hic *a*) Lib. 83. quæſt. 68. in illa Matthæi XXII. verba, *multi ſunt vocati; pauci vero electi*, ſic commentatur: *Ad illam cœnam præparatam nec omnes, qui vocati ſunt, venire voluerunt; neque illi, qui venerunt, venire poſſent; niſi vocarentur. Itaque nec illi, qui noluerunt venire, debent alteri tribuere, ſed tantum ſibi; quoniam, ut venirent vocati, erat in libera poteſtate.* Atqui non fuiſſet in libera poteſtate, ut venirent, ſi Gratia tantum relative parva, & non vere ac relative ſufficiente vocati fuiſſent. Afferit ergo S. Pater, eos, qui non venerunt, habuiſſe Gratiam vere, relative, & tamen pure ſufficientem. *b*) Idem S. Doctor Lib. I. ad Simplicianum quæſt. 2. expendens iſtam ſententiam: *Nemo credit non vocatus; ſed non omnis credit vocatus*, de Eſau ſic loquitur: *Noluit ergo Eſau, & non cucurrit: ſed ſi voluiſſet, & cucurriſſet* (id eſt, ſi Gratiæ conſentire voluiſſet), *DEI adjutorio perveniſſet, quæ etiam velle & currere vocando præſtaret; niſi vocatione contemta reprobus fieret.* Potuit ergo Eſau vocatus venire, Auguſtino teſte; ac proinde Gratiam vere ſufficientem habuit; ſed ſine effectu, cujus cauſſa illam acceperat, id eſt, pure ſufficientem.

Proba-

Probatur 3.) EX CONCILIIS. *Arausicanum II.* an. 529. Can. 25. ita statuit: *Hoc secundum fidem catholicam credimus, quod accepta per Baptismum gratia omnes baptizati, Christo auxiliante & cooperante, quæ ad salutem animæ pertinent, possint, & debeant, si fideliter laborare voluerint, adimplere.* Ergo ad omnia DEI præcepta implenda a Christo per Gratiam vere sufficientem adjuvantur ii, qui ex baptizatis illa non observant, adeoque vere, sed pure sufficientem Gratiam accipiunt. *Senonense* an. 1528. Parisiis celebratum contra Lutheranos hoc ipsum dogma post Gratiæ, *interiori quodam & occulto secretioris inspirationis afflatu voluntatem tangentis*, assertam necessitatem sic porro pergit parte 1. in Decretis fidei cap. 15.: *Neque tamen tanta Gratiæ necessitas libero præjudicat arbitrio; cum illa semper in promtu sit: . . . neque denique tale sit hujusmodi trahentis DEI auxilium, cui resisti non possit. Quoties enim voluit congregare filios Jerusalem, sicut gallina congregat pullos suos sub alas; & noluerunt. Frustra certe Stephanus Judæos duræ cervicis argueret, qui semper Spiritui sancto resisterent. Frustra Paulus Thessalonicenses admoneret, Spiritum ne extinguerent; si divinis inspirationibus homines inevitabiliter raperentur.* Loquitur Concilium de internæ Gratiæ *occulto inspirationis afflatu*; hunc habuisse eos Jerosolymæ filios, & Judæos, affirmat, & probat ex Scripturis, qui actu eidem restitere. Ergo &c. *Concilium Tridentinum* Sess. VI. Can. XVIII. statuit: *Siquis dixerit, DEI præcepta homini etiam justificato & sub gratia constituto, esse ad observandum impossibilia: anathema sit.* Atqui fatente ipso Jansenio impossibilia sunt, si desit Gratia relative sufficiens, & adsit solum Gratia parva. Accedit *propositio I.* inter quinque damnatas ab *Innocentio I., Alexandro VII., Clemente IX. & XI* (283.).

Proba-

Probatur 4.) EX RATIONE THEOLOGICA. Homo justus obligari sub pœnæ æternæ interminatione a DEO non potest immediate ad id, ad quod potestatem immediate completam ac vere sufficientem non habet, nec suis viribus præsentibus acquirere potest. Sed nec in tali casu homini vero aliquo judicio imputari potest, & exprobrari; quod penes ipsum præcise sit ratio & vituperii demeritum, quod ea, ad quæ obligaretur, non implerit; vel in pœnam statutam inciderit. Atqui DEUS passim obligat homines justos, & præcepti sui transgressoribus universe exprobrat (*perditio tua ex te Israel.* Ose. XIII.). Ergo potestatem illam immediate completam ac vere sufficientem habet homo saltem justus; quoties nullius antehac peccati gravis reus a DEO sub pœna æterna obligatur ad aliquid. Jam vero non habet illam potestatem sine DEI Gratia relative sufficiente interna supernaturali (276.). Ergo habet Gratiam vere sufficientem. Porro etiam justi legi obliganti sæpe non obediunt. Ergo sæpe habent Gratiam vere, pure tamen, sufficientem. *Ex eo, quod non accepit, nullus reus est: ex eo vero, quod non facit, quod debet, juste reus est. Debet autem, si accepit & voluntatem liberam & sufficientissimam facultatem.* Ita ratiocinatur ipse S. Augustinus Lib. III. de lib. arbitr. c. 16. n. 45. Et L. de duab. animab. c. 12. n. 17. *Peccati reum tenere quemquam, quia non fecit, quod facere non potuit, summæ iniquitatis est & insaniæ.*

* *Jansenius* L. 3. de Gratia Christi cap. 3. ait, *illud Gratiæ* pure *sufficientis genus, quo adjuvante nullum unquam factum est opus, aut fiet unquam, . . . sibi videri monstrum quoddam singulare Gratiæ, solummodo peccatis faciendis serviens, ideoque lapsis hominibus citra DEI invidiam*

diam damnandis excogitatum. At enim non meminerat hoc dicens, se ipsum hoc monstrum admisisse in statu naturæ integræ pro Adamo, & universis myriadibus Angelorum rebellium, advocata in partem suæ doctrinæ S. Augustini ipsius auctoritate. Quæ ergo ex ratione præcise contra eam objicit, solvere ipse debebit. Audiamus vero prius, quæ eidem objiciat ex SS. Scripturis & SS. Patribus.

* * *Objicit* ergo Jansenius 1.) secundum *SS. Scripturas* nulli divinæ Gratiæ, perinde atque nulli voluntati divinæ, resisti. Ad Rom. IX. 19. *Voluntati ejus quis resistit?* Joan. VI. 40. *Omnis, qui audivit a Patre, & didicit, venit ad me. Resp.* Si DEUS voluntate simpliciter efficaci quid velit, & si velit dare Gratiam, non pure sufficientem, sed efficacem; tunc a nemine illi resistitur; & hoc solum dicit Scriptura; non item, quod DEUS omnia, quæ vult, velit voluntate simpliciter efficaci (de DEO §§. 69. II. 100.); nec quod solam det efficacem; aut quod *omnis, qui audivit a Patre,* etiam *discat.*

* * * *Objicit* 2.) præcipue *ex S. Augustino*, hunc S. Doctorem tria universe docuisse; *primo* Gratiam internam in statu naturæ lapsæ nunquam carere effectu: *deinde* ex defectu effectus semper recte inferri absentiam Gratiæ: ac proinde negasse illum Gratiam pure sufficientem: *denique* sæpe dari tam parvam Gratiam, ut quis DEI mandata per eam servare non possit. *Primum probat* sequentibus Augustini dictis L. de Prædest. Sanct. cap. 8. *Hæc Gratia, quæ occulte humanis cordibus divina largitate tribuitur, a nullo puro corde respuitur.* L. I. ad Simplic. *Illud autem nescio, quomodo dicatur, frustra DEUM misereri; nisi nos velimus. Si enim DEUS miseretur, etiam volumus. Non potest esse effectus misericordiæ DEI in no-*

stra

ſtra poteſtate, ut ille fruſtra miſereatur, ſi homo nolit. *Reſp.* In utroque caſu S. Doctor loquitur de ſpeciali dono Gratiæ efficacis, qua prædeſtinantur merita bona. Unde *concedo*, ſecundum Auguſtinum, aliquod eſſe genus Gratiæ, cui nunquam reſiſtitur, nempe Gratias efficacis; *nego* autem, nullum eſſe, cui reſiſtatur. Aut quid ſibi vult illud S. Doctoris dictum Enarrat. in Pſalm. 124. *Cor eorum congelaſcit adverſus DEUM, & fit durum contra imbrem Gratiæ, ne fructum ferat?* Nempe *in primo loco* S. Pater loquitur de ſpeciali dono, qua *facit filios promiſſionis & vaſa miſericordiæ, quæ præparavit ad gloriam.* In *ſecundo loco* idem eſt ſenſus; quia S. Auguſtinus per vocem *miſereri* vulgo intelligit collationem Gratiæ efficacis. Et vero S. Doctor eodem citato loco dicit: *Etſi multos vocet; eorum tamen miſeretur, quos ita vocat, quomodo eis vocari aptum eſt, ut ſequantur* Et iterum: *Cujus autem miſeretur, eum ſic vocat, quomodo ſcit ei congruere, ut vocantem non reſpuat.* Interim nihilominus Lib. 80. quæſt. 68. ſcribit: *Ad miſericordiam pertinet vocatio tum eorum, qui venerunt, tum eorum, qui non venerunt.* Eadem eſt reſponſio ad illum locum Lib. de Gratia Chriſti cap. 14. *Quando DEUS docet non per legis literam, ſed per ſpiritus gratiam, ita docet, ut, quod quiſque didicerit, non tantum cognoſcendo videat, ſed etiam volendo appetat, agendoque perficiat.* Nam iterum ſenſus eſt, *aliquando* DEUM per Gratiam ſic docere; non quod *ſemper* ita doceat. Nam cap. 13. ibid. ait: *Sic docet eos, qui ſecundum propoſitum vocati ſunt, ſimul donans & quæ agant ſcire, & quod ſciunt agere.*

**** Porro *alterum* ex tribus dictis, nempe ubi deest effectus boni operis, deesse Gratiam, *Jansenius probat* hoc modo: *a*) S. Augustinus Lib. de Prædest. Sanct. cap. 8. expendens illa verba S. Joan. VI. 45. *Omnis, qui audivit a Patre, & didicit, venit ad me*; ait: *Si omnis, qui audivit a Patre, & didicit, venit*; *profecto omnis, qui non venit, non audivit a Patre, nec didicit: nam si audisset, & didicisset, veniret*. *Resp.* Secundum Augustinum *audire* significat doctrinam percipere, *discere* autem credere, & doctrinam amplecti. Cum vero dicit: *profecto omnis, qui non venit, non audivit a Patre, nec didicit*, particula *nec* non instar copulativæ, sed collectivæ particulæ sumitur a S. Doctore, id quod ex immediate sequente illatione colligitur: *nam si audisset, & didicisset, veniret*. Hanc esse Augustini mentem, patet ex Lib. de Gratia Christi cap. 14.; ubi eundem locum Joannis VI. tractans ait: *Qui ergo non venerit, non de illo recte dicitur: audivit quidem, & didicit, sibi esse veniendum; sed facere non vult, quod didicit. Prorsus non recte dicitur de isto docendi modo, quo per Gratiam docet DEUS. Si enim, sicut veritas loquitur, omnis, qui didicit, venit: quisquis non venit, profecto nec didicit.* *b*) *Urget* vero Jansenius. S. Augustinus Lib. de Gratia Christi modo citato cap. 13. sic habet: *Qui novit quidem, quid fieri debeat, & non facit; nondum didicit secundum gratiam, sed secundum legem; non secundum spiritum, sed secundum literam.* Ergo ex mente S. Patris, qui non faciunt, quæ facienda cognoscunt, tantum habent Gratiam externam, quæ sufficiens non est. *Resp.* Ergo nec habebunt gratiam parvam Jansenii? Sed nego videlicet, S. Doctorem citato loco per *legem* & *literam* intelligere solum Gratiam externam, & per *gratiam* & *spiritum* designare Gratiam simpliciter internam. Sed per posteriora hæc intelligit Gratiam legis Christi propriam, id est, cum caritatis inspira-

ſpiratæ ſuavitate ineffabili conjunctam; & per *legem & literam* intelligit Gratiam timoris legi veteri propriam; quæ quidem etiam interne terret per interminationem pœnæ; ſed quia ſuavitate illa non delectat, quæ inſpirationi caritatis propria eſt, idcirco vel omnino non perſuadet obſervationem legis, vel ſolum ut ex timore, non cum amore, obſervetur. Hinc continue poſt allegata verba ſubdit S Pater: *Quamvis multi, quod imperat lex, facere videantur timore pœnæ, non amore juſtitiæ.* Quam deinde vocat *juſtitiam legis*, non DEI; inter quam & *DEI juſtitiam*, ſeu a DEO datam, dicit hoc eſſe diſcrimen, quod iſta ſic *detur per Gratiæ beneficium, ut non ſit terribile, ſed ſuave mandatum; id eſt, ut non formidine pœnæ ſerviliter cogar eſſe ſub lege; ſed libera caritate delecter eſſe cum lege.* c) Sunt utique & alii textus Auguſtini, innoxio conſilio a S. Doctore tunc temporis prolati, cum non abuſus talis eſſet periculum, quem poſtea de illis Janſenius fecit. Sic Lib de Præde. Sanct. cap. 8. ait: *Cum Evangelium prædicatur; qui credunt, prædicatore forinſecus ſonante intus a Patre audiunt, & diſcunt: qui autem non credunt, foris audiunt; intus non audiunt, neque diſcunt.* At dicere ſolum volebat S. Doctor, quoad effectum idem eſſe, ac ſi, qui non credunt, foris ſolum, & non etiam interne per Gratiam ſufficientem audirent. Rurſus Lib. I. ad Simplic. quæſt. 2. ita ſcribit: *Ad alios vocatio quidem pervenit: ſed quia talis erat, qua moveri non poſſent, vocati quidem dici potuerunt, ſed non electi.* *At* loquitur S. Doctor de impotentia *conſequente* ad prævisionem, quam DEUS habebat de conditionate futura obſtinatione illorum ſub tali vocationis gratia, licet per ſe vere ſufficiente, ut haberent poteſtatem completam liberam ad hoc, ut vocati venirent. Unde ſimili in textu interpretando occupatus Tract. 53. in Joan., quo Evangeliſta dicit: *proptera non poterant credere Judæi*

dæi, mox ipse quærit: *quomodo Judæi, si non potuerunt credere, tamen peccarint non credendo*: tumque ita nodum ipse resolvit: *Quare autem non potuerint, si a me quæratur, cito respondeo: quia nolebant: malam quippe eorum voluntatem prævidit DEUS.* Consequenter nempe ad hanc DEI præscientiam credere non potuerunt. Profecto secundum Jansenium respondere Augustinus debebat: quia non habuere Gratiam sufficientem, nec DEUS dare illis nisi parvam gratiam volebat.

* * * * * *Tertium* ex supra dictis, nempe docere Augustinum, sæpe dari tam parvam gratiam, ut quis per eam DEI mandata servare omnino non possit, *probat Jansenius* hoc modo. *a*) S. Augustinus Lib. de Gratia & lib. arbitr. cap. 17. scribit: *Qui vult facere mandatum DEI, & non potest, jam quidem habet voluntatem bonam, sed adhuc parvam, & invalidam: poterit autem, cum magnam habuerit, & robustam. Resp.* Certum est, S. Doctorem hoc loco per *bonam voluntatem parvam* non intelligere delectationem parvam indeliberatam, sed deliberatam, sed debilem adhuc velleitatem boni, vel certe non satis efficacem ad bonum arduum æque faciendum, ac minus arduum. Sic enim eodem loco pergit scribere de S. Petro: nimirum illum nondum caritatem magnam habuisse, *quando timore Dominum negavit: . . . & tamen parva & imperfecta non deerat, quando dicebat Domino: animam meam ponam pro te.* Quæ profecto ad solam gratiam, quoad hæc in delectatione indeliberata consistit, applicari non possunt. *b*) Probat idem Jansenius ex Lib. de Corrept. & Gratia cap. 11. & 12., ubi dicit, S Augustinum hæc docere: 1.) *distingui Gratiam* internam in *adjutorium, sine quo non* potest quis facere bonum, & declinare a malo, id est, in Gratiam sufficientem; & in *adjutorium, quo* adjuti semper facimus bonum, & declina-

mus

mus a malo, id eft, in Gratiam ex natura fua efficacem: 2.) *adjutorium, fine quo non,* id eft, Gratiam fufficientem, *propriam fuiffe ftatui naturæ integræ;* & *ex adverfo adjutorium, quo,* id eft, Gratiam efficacem, *propriam effe ftatui naturæ lapfæ. Refp.* S. Auguftinus Lib. cit. cap. 11. fic habet: *Si hoc adjutorium* (fine quo non) *Angelo, vel homini, cum primum facti funt, defuiffet; non utique fua culpa cecidiffent: nunc autem quibus deeft tale adjutorium, jam pœna peccati eft; quibus autem datur, fecundum gratiam datur, non fecundum debitum.* Ubi profecto Auguftinus potius afferit, illud adjutorium Gratiæ fufficientis *nunc*, id eft, in ftatu naturæ lapfæ, nemini negari, nifi ob peccata prævia jam ab ipfo commiffa. Ergo faltem juftis nunquam negatur. Sed de vero feufu illius loci dicemus alibi.

****** *Objicit* Janfenius 3.) *ex ratione. a)* Gratia pure fufficiens non eft Gratia. Nam ad Gratiam requiritur benevolentia faltem affective efficax, qua vere bene volumus ei, cui rem bonam fimpliciter tribuimus. Atqui talis benevolentia non habet locum, cum DEUS daret gratiam, feu auxilium, quod fciret ad aliud non ferviturum, quam ut eo liberius homo poffet peccare. *Refp.* Ex Tractatu de DEO §. 66. conftat, DEUM voluntate antecedente feria & affective efficaci velle bene omnibus & fingulis, & eundem voluntate confequente fic dare Gratias fufficientes, feu media neceffaria ad falutem, ut paratus effet dare loco earum, quas pure fufficientes, id eft, inefficaces fore prævidet, quasvis alias poffibiles; fiquas citra boni majoris communis præjudicium prævideret fore inefficaces. Ergo profecto cum benevolentia feria & ex parte DEI tam affective efficaci dantur quævis Gratiæ etiam pure fufficientes, ut ratio, cur non dentur Gratiæ reipfa efficaces, nequaquam ulla fe teneat ex parte DEI, vel fit aliquis defectus benevolentiæ in DEO, fed unice om-

omnis ratio istius stet ex parte creaturæ rationalis (de DEO §§ 66. 74. VII.). *b*) Gratia pure sufficiens, ait Jansenius porro, convenit cum Gratia Pelagianorum; quia est Gratia solius *possibilitatis*, non *voluntatis* & *actionis*, qualem Augustinus ab eis admittendam requisivit (261. not. 2.). *Resp.* Pelagiani Gratiam possibilitatis necessariam ad opus salutare in solo libero arbitrio naturali & Gratia externa Evangelii &c. constituebant, & negabant *Gratiam* internam *adjuvantem* etiam in iis, qui bene ac salutaria opera operabantur: Nos Gratiam etiam pure sufficientem in interna illustratione & motione constituimus, ac necessariam hanc esse dicimus, ut detur potentia moralis salutaria opera efficaciter volendi, & exequendi: ac præterea in iis, qui Gratiæ, non pure, sed simpliciter sufficienti, libere cooperantur, voluntatem & actionem ipsam salutarem adjuvari ab eadem, ceu jam non pure sufficienti, sed efficaci, confitemur. *c*) Nemo prudens a DEO petere potest Gratiam pure sufficientem; sed potius orare omnes debemus, ne talem DEUS det. Ergo rationem veræ Gratiæ non habet. *Resp.* Nego suppositum, puram sufficientiam, seu inefficaciam Gratiæ, a DEO esse: nam *perditio tua ex te Israel*; *in me tantummodo auxilium* (Oseæ XIII.). Quodsi ratio insufficientiæ a DEO non est, sed a nobis ipsis; quo pacto peti a DEO prudenter possit? Unde Gratia pure sufficiens Gratia est, quatenus est potestas moralis ad bonum; non quatenus est in actu secundo inefficax, seu pure sufficiens potestas, vel quatenus prævidetur talis fore a DEO, & ut talis prævisa datur. Recte ergo oramus, ut DEUS loco pure sufficientis a se prævisæ nobis det talem, quam prævidet fore efficacem; sed nempe quantum decet, & potest salvo bono communi majore: secus nec recte ille faceret; nec nos recte peteremus.

ARTI-

ARTICULUS V.

QUIBUSNAM DETUR GRATIA SUFFICIENS INTERNA ACTUALIS.

285.

Gratia vere ſufficiens (proxime, vel remote) ad ſervanda omnia mandata DEI actu obligantia, & ad perſeverandum in juſtitia jam accepta, datur a DEO omnibus juſtis. Etiam hoc dogma fidei catholicæ eſt. Dixi vero: *Gratiam proxime, vel remote ſufficientem. Per priorem* Theologi intelligunt eam, quæ tribuit potentiam moralem relative ac vere ſufficientem immediate ad actum DEI mandato præceptum: *per poſteriorem* vero deſignant ſimilem potentiam ad alium actum vere ſalutarem, ex. gr. ad orationem cum ardenti deſiderio & fiducia conjunctam, quo impetraturus homo primum eſt Gratiam priorem proxime ſufficientem.

Probatur 1.) EX SS. SCRIPTURIS. Eccli. II. 12. *Quis permanſit in mandatis ejus, & derelictus eſt; aut quis invocavit eum, & deſpectus eſt.* Ecce! juſtus nunquam derelinquitur ſic a DEO, ut non ſaltem invocare ejus opem queat; & ſi invocet; ejus oratio non deſpicitur a DEO unquam. Matth. XI. 30. *Jugum meum ſuave eſt, & onus meum leve. Venite ad me omnes, qui onerati eſtis, & ego reficiam vos.* I. Joan. V. 3. *Mandata ejus gravia non ſunt.* I. Cor. X. 13. *Fidelis DEUS, qui non patietur vos tentari ſupra id, quod poteſtis, ſed faciet cum tentatione proventum, ut poſſitis ſuſtinere:* id eſt, ſic tentationis progreſſum moderabitur, ut poſſitis ſine lapſu in ea perdurare. Enimvero hæc ſal-

ſaltem juſtis dicuntur, hisque promittunt minimum hoc, nempe non imponendum illis eſſe onus, cujus ferendi poteſtatem moralem habituri non ſint. Atqui Gratia ſufficiens conficit hanc poteſtatem moralem neceſſariam ad ſervanda mandata (258.).

Probatur 2.) EX CONCILIIS. *Arauſicanum II.* Can. 25. ſupra §. 284. in Probatione 3tia citatum id aperte docet. TRIDENTINUM Seſſ. VI. Can 8. ibidem citato dogma definit: idemque eadem cit. Seſſ. cap. 11. errorem contrarium deteſtatur his verbis: *Nemo temeraria illa & a Patribus ſub anathemate prohibita voce uti debet, DEI præcepta homini juſtificato ad obſervandum impoſſibilia eſſe. Nam DEUS impoſſibilia non jubet; ſed jubendo monet & facere, quod poſſis, & petere, quod non poſſis.* Ex quo patet, *Innocentium I, Alexandrum VII., Clementem XI.* in damnatione primæ propoſitionis Janſenii (283.) non niſi anathema a Tridentino jam evibratum denuo renovaſſe. Et vero Tridentinum non loquitur de actibus concupiſcentiæ indeliberatis, quos Lutherus & Calvinus affirmabant, Janſenius autem negat eſſe peccata: quia ad hos vitandos DEUS neminem obligat præcepto: atqui Tridentinum DEI præcepta homini juſto impoſſibilia eſſe negat.

Probatur 3.) EX S. AUGUSTINO, cujus unius auctoritati errorem ſuum Janſenius ſuperſtruxit, ſed falſo. Itaque in Lib. de nat. & Grat. cap. 36. ſic habet: *DEUS ſua gratia ſemel juſtificatos non deſerit, niſi ab eis prius deſeratur.* Cap. 43. *Non igitur DEUS impoſſibilia jubet, ſed jubendo admonet & facere, quod poſſis, & petere, quod non poſſis*: quæ verba Tridentinum mutuavit ab Auguſtino, & ex eis Theologi derivarunt diviſionem Gratiæ *proxime* & *remote ſufficientis* (hic ſub initium)

tium). Item ibid. cap. 26. scribit: *DEUS*, *cum justificat impium, & ad veram perfectamque justitiam perduxit, non deserit, nisi deseratur, ut pie semper justeque vivatur.* Ubi sane DEI Gratias *actuales* necessarias (non solum *habitualem*, ut explicarunt Janseniani) justo ad pie justeque vivendum non deesse S. Doctor affirmat. Subdit enim ibidem continuo: *Sicut enim oculus corporis plenissime sanus, nisi candore lucis adjutus, videre non potest; ita homo nunc perfectissime justificatus, nisi æternæ luce justitiæ divinitus adjuvetur, recte vivere non potest.*

* *Objicit Jansenius* 1.) secundum Scripturas, Concilia, & Augustinum, necessariam ad servanda DEI mandata esse Gratiam efficacem, voluntatis simul & possibilitatis. *Resp. distinguendo*: ad actu servanda, *concedo*: ad hoc, ut habeatur potentia moralis ad ea servanda, *nego*. 2.) Secundum eadem oportet, ut justi ac sancti implorent auxilium divinum ad servanda mandata: ergo sine oratione non habent. Atqui sæpe, cum peccant justi, prius non orant. *Resp. dist.* Oportet orare, ut accipiant Gratiam proxime sufficientem, *conc.*; ut remote sufficientem, id est, proxime sufficientem ad orandum, *nego*. Ergo sæpe non habent proxime sufficientem ad servanda mandata; cum scilicet non orando abutuntur remote sufficiente; Iterum *concedo*: sæpe nec remote sufficientem, & hanc quidem sine prævia item oratione, non habent; *nego*. 3) Atqui secundum Augustinum, ait Jansenius, sæpe nec gratiam orationis habent. Nam Lib. I. ad Simplic. cap. 2. scribit: *Nonne aliquando ipsa oratio nostra sic tepida est, vel potius frigida, & pœne nulla; imo interdum ita nulla, ut neque hoc in nobis cum dolore advertamus. Resp. nego. Ad Prob. dist.* & hoc ex defectu Gratiæ oriri docet Augustinus; *nego*: oritur ex neglecto usu Gratiæ actu suppetentis; *concedo*. Ceterum quandoque Augustinus de peccatis mere venialibus impotentiam moralem etiam in justis

 adesse

adesse docet, nisi speciali DEI privilegio juventur (278. n. 2.). 4.) *Urget Arnaldus* exemplum S. Petri, qui, priusquam negaret Christum, fuit justus; cum Christus dixerit de omnibus Apostolis in cœna, excepto Juda, *vos mundi estis*: & tamen non habuit Gratiam vere sufficientem exterius profitendi fidem, & non negandi Christum, teste *Chrysostomo* Hom. 34. in Matth de illo scribente: *Etsi bene comparatus fuerat, divino tamen subtractio auxilio stare non poterat*: & teste ipso *Augustino* serm. 124. de tempore: *Quid est homo sine Gratia DEI, nisi quod fuit Petrus, cum negaret Christum? Ideo E Petrum Dominus paullulum subdeseruit, ut in illo totum humanum genus posset cognoscere, nihil se sine gratia valere* Et Tract. 92. in Joan. *Caritas Petro defuit, quando ancillæ tentatione pertractus non potuit verum testimonium perhibere. Resp.* Secundum Chrysostomum & Augustinum S. Petrus jam prius graviter peccavit per præsumtionem & superbiam, qua, licet aperte monitus a Christo de sua futura negatione, tamen constanter ei contradixit, & nimis secure in sua fidelitate & firmitate animi confidebat. Certe *S. Chrysostomus* hanc præfidentiam vocat *crimen*, *magnum casum &c.*; *S. Augustinus* vero eam *ruinam* cordis appellat in Psalm. LVIII. & Lib. XIV. de Civit. cap. 13. Si ita est: exemplum non est ad rem. Sed hoc omisso ajo: in S. Petro id genus præsumtionem, etsi leve solum peccatum ob inconsiderationem suffet, post se traxisse neglectum orationis, pro qua peragenda habuit Gratiam vere sufficientem; inde autem secutam esse subtractionem Gratiæ proxime sufficientis ad perseverandum in professione generosa fidei in Christum. Certe Christus ipse monuerat ipsum æque ac ceteros Apostolos: *Vigilate, & orate, ut non intretis in tentationem*: at ille hac neglecta gratia dormivit. *Neque dicat Arnaldus*: Chrysostomum Hom. 31. in Epist. ad Hebr. scribere, *negationem Petri non tam fuis-*

fuisse socordiæ, ac negligentiæ, quam ex eo, quod DEUS illum deseruerit. Nam resp. hunc fuisse ordinem in lapsu Petri: *primo* præsumsit de sua firmitate in fidelitate erga Christum: *inde* orta est negligentia orationis in certa præsentia gravis periculi peccandi, seu non usus Gratiæ remote sufficientis: hinc subtractio Gratiæ proxime sufficientis: & ex hoc *denique* lapsus: ut adeo recte negarit S. Chrysostomus, immediatam caussam lapsus fuisse socordiam. 5.) *Objicit* denique *Jansenius.* Justis sæpe subtrahitur gratia perseverantiæ; quippe quæ est speciale auxilium, *sine quo justificatum perseverare posse*, negat Tridentinum Sess. VI. Can. XXII. *Resp.* Negatur illis Gratia sufficiens ad perseverandum, *nego*; efficax, *concedo.* Atqui sola efficax Gratia perseverantiæ est speciale donum; sine quo quidem *potentia perseverandi* pura, sed non ipsa *perseverantia*, dari potest. Tridentinum non priorem, sed hanc posteriorem existere posse sine dono illo peculiari negat. Sed *urget Jansenius* ex Lib. de dono persev. cap. 14.; ubi S. Augustinus non reprobat hanc propositionem in publico sermone prolatam ad fideles (*siqui estis, qui obeditis, si prædestinati estis rejiciendi, subtrahentur vobis obediendi vires*), nisi quod nimis crude veluti in faciem præsentibus in secunda persona ingeratur, & commodius in tertia persona enuntiaretur, ex. gr. *siqui sunt, qui obediunt &c. Resp. Inprimis* etiam in hac propositione intelligi possunt, & a S. Augustino certo intellectæ sunt *vires* efficacis Gratiæ, dantis non solum facultatem *obediendi*, sed ipsam *obedientiam. Deinde* ipse S. Doctor subdit: non solum *congruentius*, sed *& verius eandem rem sic dici*: *siqui autem obediunt, sed prædestinati non sunt; temporales sunt, nec usque in finem in obedientia permanebunt.* Ergo ipse fatetur, priorem enuntiandi modum fallaci interpretationi obnoxium esse.

286.

286.

Gratia vere sufficiens (proxime vel remote secundum dicta §. praeced.) ad consequendam fidem seu persuasionem firmam de dogmatis fundamentalibus religionis, scitu absolute necessariis ad salutem, datur a DEO omnibus hominibus etiam infidelibus eo usque adultis, seu provectis in usu rationis, ut gravis peccati admittendi capaces sint, seu ut a sorte aeterna parvulorum imbellium secernantur; sive audierint aliquando praedicationem Evangelii, sive nunquam audierint; vel, ut theologicum idioma habet, sive positive sint infideles, sive negative tantum. Non est hoc quidem dogma catholicum; quia sunt ex Doctoribus catholicis, qui cum Goneto e schola Praedeterminatorum tenent, tales gratias quidem fuisse a DEO omnibus praeparatas, sed non omnibus applicari; vel qui docent cum Bertio e schola Augustinianorum, solum adesse omnibus *Gratias externas*, ex. gr. ordinem istius mundi &c., ex quibus potuissent venire in notitiam DEI. Ego tamen propositionem a me modo magis *determinato* assertam, quam vulgo a Theologis solet, certam esse existimo, maxime ob argumentum ex ratione theologica a me afferendum, quo cetera ex SS. Literis & Patribus afferri solita multum illustrari videntur. Itaque

Probatur 1.) EX SS. SCRIPTURIS. Joan. I. 9. universe saltem de hominibus in dicto sensu adultis dicitur: *Erat lux vera, quae illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Ubi actualis illuminatio omnium affirmatur, eaque supernaturalis, quia haec lux dicitur *Verbum* divinum, per quod *mundus factus est.*

Pro-

Probatur 2.) EX SS. PATRIBUS. *S. Cyrillus Alexandr.* Lib. I. in Joan. cap. 11. de verbis modo citatis Scripturæ sic disserit: *Lux vera Christus profecto est, & splendorem suum ad omnes emittit.* *S. Ambrosius* in Psalm. XVIII. 7.; ubi dicitur de sole divino, *non est, qui se abscondat a calore ejus*, sic scribit: *Mysticus sol ille justitiæ omnibus ortus est, omnibus venit, omnibus passus est &c . . : Siquis autem non credit in Christum, generali beneficio se ipsum fraudat.* *S. Augustinus* L. I. pe Genesi c. 3. ait: *Omnes homines, si volunt, possunt Deo credere, & ab amore visibilium rerum & temporalium se ad ejus præcepta servanda convertere: quia illud lumen omnem hominem illuminat venientem in hunc mundum.* Similia habent de Gratia corda pulsante, & adjutorio divino interno *S. Prosper* in Lib. de vocat. gentium c. 14., vel quiscunque est hujus libri auctor, & *Paulus Orosius* in Apolog de libert. arbit. c. 17., uterque discipulus S. Augustini.

Probatur 3.) RATIONE THEOLOGICA. Adulti omnes, qui non forte parvulorum imbellium in altera secutura vita fruituri, sed vel proprio aliquo merito morali ad beatitatem electorum perventuri, vel proprio aliquo morali demerito æterna infelicitate positiva reproborum involvendi sunt, obligari obligatione gravi & perfecta debent (id est, sub pœna æternæ damnationis) ad præcepta divina constanter observanda. Porro ut obligari tam graviter a DEO infinite sapiente, bono, & justo præsertim ad difficiliora mandata, item ad diu servanda omnia mandata possint, opus est, ut certitudine saltem respectiva cognoscant dogmata saltem fundamentalia religionis ad salutem scitu absolute necessaria, nimirum de DEO remunerante bona opera moralia præmiis, & mala puniente pœ-

pœnis positivis æternis; item ut polleant facultate morali completa ad firma fide amplectenda illa dogmata, & ex motivo eorundem observandi omnia mandata DEI per omne vitæ tempus: sine illa certitudine enim nulla lex divina subjectiva illis inesse, aut satis esse promulgata potest; cum obligatio ipsa omnimodis incerta esse perfecta non possit (Eth. univ. christ. §. 343. seqq.): sine collata vero facultate morali observandi legem DEI bonitas & justitia non permittit, ut sub æterna pœna tales ad observationem mandatorum absolute obligentur. Atqui vel *moralis facultas certitudinem acquirendi* de dogmatis fundamentalibus religionis, vel certe *facultas moralis firma ac generaliter efficaci fide eidem assentiendi*, multoque amplius *facultas moralis opere salutari observandi diu omnia DEI mandata*, satis certo cognita, sine Gratia sufficiente non habetur: secus illa hoc ipso non deesset, contra ac in hypothesi propositioni nostræ adversa supponitur. *Primum* patet ex dictis in Demonstr. evang. de necessitate morali alicujus divinæ revelationis inde a §. 48.: *alterum* ex dictis de necessitate Gratiæ internæ actualis etiam supernaturalis ad initium fidei §. 264. hic: *tertium* ex dictis de necessitate ejusdem gratiæ ad diu servanda omnia DEI mandata §. 276.: quæ quidem omnia dicta his citatis locis cum probent necessitatem Gratiæ internæ omnino supernaturalis; patet, etiam *Gratiam sufficientem supernaturalem internam necessariam esse ad hoc*, ut quiscunque adultus ad legem fidei firmæ ac generaliter efficacis de dogmatis fundamentalibus, aut ad alia DEI mandata servanda aliquando obligari efficaciter possit.

* Pro-

* Propositiones quædam Quesnellianæ a Clemente XI. damnatæ aliquo saltem pacto ad hoc argumentum pertinent, nimirum 27ma: *Nullæ dantur gratiæ, nisi per fidem.* 28va: *Fides est prima gratia, & fons omnium aliarum.* 29na: *Extra Ecclesiam nulla conceditur gratia.* Item ab Alexandro VIII. damnata numero quinta: *Pagani, Judæi, hæretici, aliique hujus generis, nullum omnino a JESU Christo accipiunt influxum: adeoque recte inferes, in illis esse voluntatem nudam & inermem sine omni Gratia sufficiente.* Quarum propositionum damnatio id saltem probat, aliquibus, non item probat, omnibus infidelibus, licet in infidelitate permanentibus, conferri aliquando Gratias sufficientes &c.

** *Objiciunt* 1.) *ex SS. Literis.* *a)* Prædicatio Evangelii plurimis negatur. Atqui sine hac secundum Apostolum ad Rom. X. 14. potentia sufficiens ad credendum non est possibilis. *Quomodo credent ei, quem non audierunt? quomodo vero audient sine prædicante? Resp.* Sine prædicatione externa (adde etiam sine omni revelatione immediate divina alia, cognita pro tali) non est possibilis fides formalis, id est, assensus præstitus propter auctoritatem DEI revelantis, *concedo*: non est possibilis certa notitia & persuasio etiam supernaturalis, ope internæ illustrationis non reflexe cognitæ cum assensu recepta de dogmatis fundamentalibus, *nego*. Atqui hæc jam erit *Gratia sufficiens* aliqua *remota* ad ipsam fidem formalem; ad quam perducetur omnis ille, qui tali luce divinitus accepta bene utetur ad præcepta divina servanda; quorum obligationem gravem ope talis lucis agnoscet etiam sine externa Evangelii Christi prædicatione, nempe ope solius rationis naturalis divinitus illustratæ; & ad ea etiam observanda inspiratione divina moveri potest; quin usquam interveniat fides divina formalis. *b)* Act. XIV. 15. docet

cet Apostolus Paulus cum Barnaba Lystrenses: *DEUS in præteritis generationibus dimisit omnes gentes ingredi vias suas.* Ergo ante adventum Christi gentiles nullam supernaturalem Gratiam accepere. Atqui naturales solum Gratiæ sufficientes non sunt. *Resp.* DEUS gentes tunc permisit ingredi vias suas, non impertiendo illis Gratias supernaturales externas tam publicas, sicut impertierat Judæis; quos lege publica speciali divinitus promulgata regebat in omni cultu religionis: cum econtra sine nova revelatione, nisi quam traditione a Patriarchis inde ab Adamo acceperant, & sine prophetiis externis, sola illustratione interna gentes ceteras saltem aliquando illustrabat sic, ut, si id genus gratiis bene usæ fuissent, eas perrexisset dirigere ulterius, & denique perduxisset ad ipsam fidem & salutem. Sed quia nec istis gratiis bene utebantur, dimisit deinceps ingredi vias idololatriæ.

* * * *Objiciunt 2.)* ex *S. Augustino.* Is L. de Præd. Sanct. c. 9. scribit: *Fides & inchoata & perfecta donum DEI est; & hoc donum quibusdam dari, quibusdam non dari, omnino non dubitat, qui non vult manifestissimis S. Scripturæ locis repugnare.* Et L. de bono persev. c. 8. *Ex duobus ætate jam grandibus impiis cur iste ita vocetur, ut vocantem sequatur; ille autem non vocetur, aut non ita vocetur, ut vocantem sequatur, inscrutabilia sunt judicia DEI.* Atqui *fides inchoata* est Gratia mere sufficiens, & *non vocari* est non habere Gratiam sufficientem. *Resp.* Actualis fides etiam mere inchoata jam est donum Gratiæ efficacis, & non mera facultas credendi fide inchoata. Idem vero donum Gratiæ efficacis, & ipsius actus fidei etiam inchoatæ, non omnibus dari, dubitari non potest; quia experientia & Scriptura testantibus non omnes credunt fide actuali etiam solum inchoata. Eodem sensu sæpe alias Augustinus negat, *nobis ita Gratiam, uti naturam cum paganis communem esse*: sed itidem nempe de Gratia efficaci fidei & aliorum operum id enuntiat, non de mere suf-

sicien-

ficiente. In loc. cit. ex L. de bono perfev. fermo non eft de infideli, fed de peccatore jam grandævo; qui eo ipfo, quod fæpe jam peccarit, jam fæpe item habuerit Gratias fufficientes ad non peccandum necefſe eft.

* * * * *Pugnant* denique *ratione.* 1.) Fides eft prima Gratia. Atqui hæc non datur omnibus infidelibus. *Probant* antecedentem propofitionem 1.) ex *Tridentino*, quod Seff. VI. c. 8. dicit: *Fides eft humanæ falutis initium & radix omnis juftificationis. Probant* 2.) ex *S. Auguftino*, qui pluribus locis, puta L. I. ad Simplic. q. 2. Lib. de Prædeft. Sanct. c. 17. Lib. de geftis Pelag. c. 14. docet, *fidem effe primam Gratiam, effe initium, unde bona opera incipiunt. Refp.* Gratia efficax fidei femper eft prima gratia; *nego*: Gratia fufficiens; *concedo*, vel potius adhuc *diftinguo*; Gratia fufficiens vel ad fidem improprie dictam, quæ eft certa perfuafio de dogmatis religionis fundamentalibus ope folius rationis divinitus illuftratæ, vel ad fidem proprie dictam, quæ eft firmus affenfus de eisdem dogmatis, innixus revelationi divinæ; *concedo*, Gratia fufficiens femper ad fidem proprie dictam, *nego*. Interim cum *fine fide* proprie dicta (ad Hebr. XI. 6.) *impoffibile fit placere DEO*: idcirco utique tenendum eft, id genus fidem impropriam nunquam fore falutarem; id eft, firmitatis & generalitatis defectu (263. I. IV.) nunquam fe fola etiam remote *fufficienter* difponere poffe ad ipfam falutem, nempe ad amorem DEI fubftantialiter perfectum, aut ad fervanda diu omnia mandata DEI: etfi fufficere poffit ad fervanda ope divinæ gratiæ aliqua DEI mandata faciliora; a quibus, fi cooperatio cum gratiis ulterioribus perduraret, progreffus fieret ad ipfam gratiam fidei proprie dictæ. Atque ifta quidem refponfio unice innititur damnationi propofitionis 23tiæ ab Innocen-

centio XI., quæ sic habebat: *Fides late dicta ex testimonio creaturarum, similive motivo, ad justificationem sufficit*: qua posita condemnatione sequitur, DEUM omnibus paganis, rite utentibus Gratia remote sufficiente & mere *illustrante*, antequam perducat eos ope amoris DEI substantialiter perfecti ad ipsam justificationem, offerre ope *revelationis*, interne vel externe satis intimatæ, ipsam *gratiam fidei proprie talis*. Absque hoc enim Pontificis judicio videri posset, solam illustrationem supernaturalem, sine notitia revelationis divinæ reflexa, ita juvare posse rationem naturalem, ut ad firmam persuasionem de dogmatis fundamentalibus religionis homo paganus perveniat, & inde ope similium illustrationum & inspirationum progrediatur ad amorem DEI super omnia. 2.) Secundum dicta §. 270. homo infidelis etiam sine Gratia supernaturali per solas vires naturæ potest facere opera quædam moraliter theologice bona. Ergo saltem non est opus, ut Gratia supernaturali adjuvetur. *Resp.* Sed non potest per vires naturæ servare *diu omnia mandata* DEI, ad quæ durante diuturniore tempore ceu adultus obligandus est; nisi habeat Gratiam supernaturalem internam (276.), & quidem fidei generaliter efficacis saltem impropriæ (277.); imo etiam proprie talis; quod ultimum modo ex propositione 23tia ab Innocentio damnata infertur. 3.) Si DEUS omnibus adultis dat Gratiam sufficientem saltem remotam ad ipsam fidem etiam proprie talem; sequitur, infidelitatem negativam esse peccatum grave, & ab omnibus eam vinci posse. Atqui hoc negant Theologi communiter, & inter alias Baji propositiones pars prior hujus sequelæ damnata est. *Resp. dist. antec.* Sequitur, infidelitatem negativam nunquam perdurare diu in adultis recta ratione utentibus sine aliquo alio interveniente peccato, id est, sine abusu gravi Gratiæ remote sufficientis ad obtinendam fidem; item eam vinci posse in sua caussa, removendo obi-

obicem Gratiæ proxime sufficientis; *concedo*: sequitur, esse semper immediate prævisam ceu effectum talis abusus, ac proinde mediate liberam, & in peccatum imputabilem in se; aut eam vinci posse ab omnibus immediate, *nego*. Porro posterius hoc, non illud prius communiter, & singillatim in Bajo, improbatur.

287.

DEUS omnibus etiam peccatoribus, utcunque multorum & utcunque gravium scelerum reis, paratus est dare, & actu dat Gratias sufficientes ad conversionem & pœnitentiam; quamdiu per scientiam conditionatam prævidet citra præjudicium boni majoris communis electorum aliquam exinde utilitatem futuram in peccatore. 2.) *Non item videtur etiam tunc porro aliquam concedere, cum prævidet, omnes Gratias, quas salvo bono majore communi conferre potest, haud alium in obstinato corde allaturas fructum, nisi ut augeatur gravitas demeriti moralis & pœnæ æternæ ex majorum ac plurium gratiarum libero abusu. Pars prima* probatur *ex SS. Scripturis.* Ezech. XXXIII. 11. *Vivo ego, dicit Dominus: quia nolo mortem impii, sed ut convertatur a via sua, & vivat.* Ad Rom. II. 4. *An divitias bonitatis ejus, & patientiæ, & longanimitatis contemnis, ignorans, quoniam benignitas DEI ad pœnitentiam te adducit: secundum autem duritiem tuam & impœnitens cor thesaurizas tibi iram in die iræ, & revelationis justi judicii DEI.* Quibus effatis sane declaratur seria voluntas DEI juvandi peccatorem omnibus auxiliis, quæ decenter & utiliter DEUS offerre potest; sic, ut ratio interitus ejus nequaquam in DEO sit, sed unice ipsius impœnitentiæ & obstinationi adscribi debeat. *Adde* textus supra § 284. jam allatos. PATRES id ipsum passim affirmant,

 simul-

ſimulque negant, peccatori utcunque oppleto peccatis viam ſalutis ex parte DEI præcluſam eſſe; niſi ipſe ſibi libera obſtinatione eam occludat. Audiamus *S. Auguſtinum* in Pſalm. LXIII. *Nuncquid conſilii corrigendi & mutandæ vitæ malæ in bonum non eſt locus? non eſt tempus? nonne ſi vis, hodie ſit? ſi vis, modo ſit.* Ubi ſane, quo minus fiat, ſolam peccatoris liberam voluntatem obſtare affirmat, non item voluntatem bonam DEI deeſſe. Magiſtro diſcipulus *S. Proſper* conſentit num. 15. ad object. Vincent. ſcribens: *Nemini DEUS correctionis adimit viam, nec quemquam boni poſſibilitate diſpoliat: quia, qui ſe a DEO divertit, ipſe & velle, quod bonum, & poſſe ſibi abſtulit.* Accedit TRIDENTINUM Seſſ. VI. cap. 14. docens univerſe: *Qui accepta juſtificationis gratia per peccatum exciderunt, rurſus juſtificari poterunt*. Rem denique RATIO evidens evincit. Eſt enim in DEO voluntas antecedens benevola ex ſe illimitata, ſeria, & affective efficax, qua vult in quovis actuali ſyſtemate mundi maximam etiam ſingulorum individuorum ſalutem promovere mediis omnibus, quæ ex parte ſua ſine præjudicio majoris boni communis utiliter ſe conferre poſſe præſcit (de DEO §§. 65. 74. V.).

Pars altera probatur tum *ratione* æque clara, ex dictis in Tract. de DEO §. 74. VI. & ſeqq.; ex quibus patet, quod in tali caſu, ubi DEUS omne auxilium effectu a peccatore fruſtrandum prævidet, quod ſalvo bono communi maximo eidem conferri poteſt, ſeria voluntas DEI benevola generalis adeo non exigat talium auxiliorum ulteriorem & fruſtraneam profuſionem, ut potius exigat eorum retentionem; ne permittendo novum majoris obſtinationis gradum plus mali permittat, quam neceſſarium ſit ad conſequendum

finem

finem boni maximi: tum iis *Scripturæ locis*, quibus *excæcatio* & *induratio cordis* a DEO in peccatoribus fieri (id eſt, permitti) auxiliorum non ſolum efficacium, ſed & ſufficientium, ſubtractione, deſcribitur: ſi enim illuſtrationes & inſpirationes ſufficientes ſemper adhuc darentur; *excæcari & indurari a DEO* proprie dici non poſſent, ſed excœcari tantum a ſe ipſis: opus enim vulgo inveteratis peccatoribus eſſet Gratiis prorſus intenſis, ut vel ſufficientem iſtæ in eis conficerent; & tamen nihil cum eis proficeretur: tum *dictis SS. Patrum*, præcipue *S. Auguſtini*, qui reſpondens ad articulos falſo ſibi impoſitos artic. 7. ſcribit: *Qui* (DEUS) *niſi prius deſeratur, neminem deſerit, & multos deſertores ad ſe convertit.* Ex quo ſequitur utique, DEUM aliquos ſui deſertores item deſerere, eo quidem modo, quo nullum (juſtum) ſe non deſerentem unquam deſerit, id eſt, ſubtrahendo Gratiam ſufficientem. Dictum hoc ex S. Auguſtino repetit *S. Proſper* reſponſ. 7. ad object. Vincent., & *S. Fulgentius* Lib. ad Monimum c. 13. *Juſte deſeritur a DEO, qui deſerit DEUM*; & ipſum *Tridentinum* Seſſ. VI. cap. 11. Idem S. Doctor in Pſalm. CXLVII. exclamat: *Ecce! deſerit DEUS peccatorem: ecce! non vocat: non aperit ſenſum; non infundit Gratiam.* In Expoſit. Epiſt. ad Rom. VI. 2. Pharaonis ſtatum in excœcatione ſic deſcribit: *Non ergo hoc illi* (Pharaoni. *imputatur, quod tunc non obtemperarit; quandoquidem obdurato corde obtemperare non poterat: ſed quia talem ſe præbuit, cui cor obduraretur.* Denique ni magnopere fallar, S. Pater de Gratia ſufficiente dicit illud in Lib. de Corrept. & Gratia cap. 11. *Nunc autem quibus deeſt tale adjutorium* (ſine quo) *jam pœna peccati eſt.*

 * Ce-

* Ceterum tamen ad scholæ sententias tota hæc quæstio pertinet; quam si sub ea limitatione, quam apposui, mecum resolvissent Theologi ceteri cum Bertio, fortassis minus offendissent adversæ sententiæ patronos. Porro vulgo saltem Doctores catholici tenent, sic desertos a DEO peccatores non damnari ob peccata, vel actiones malas, quas primum in hoc statu excœcationis committunt, sed ob præcedentia, quæ commisere Gratiis adhuc sufficientibus adjuti; fere ut in simili casu S. Augustinus loquitur de Pharaone in Exposit. Epist. ad Rom. cit. loc. Interim Bertius etiam hæc peccata excœcatis in damnationem imputari docet L. 18. c. 8. n. 8. Et vero si hoc defendat de imputatione qualicunque ob relictam illis saltem physicam libertatem; nihil absonum in ea doctrina invenio. Hoc tamen certum puto, non ob ea sola quemquam damnari posse peccata, quæ moraliter vitare non potuit. *Quodsi dicas*: rationem a me allatam probare, DEUM nunquam dare debere Gratias mere sufficientes; ceu quæ nunquam ad aliud serviunt quam ad majorem damnationem ejus, qui illas accipit. *Resp.* Si necessitate bonitatis suæ hoc facere DEUS deberet; hoc ipso cessaret periculum omne æternæ damnationis; cum ob peccata sine Gratia sufficiente ex necessitate saltem morali admissa nemo a DEO infinite bono damnari possit. Porro cessante illo periculo tolleretur præcipuum motivum practice sufficiens ad excitandam vigilantiam, & studium eorum, qui inter electos nunc futuri sunt. Atqui decet DEUM motiva practice sufficientia suppeditare ad bene merendum (Eth. christ. univ. §. 189.). *S. Augustinus* de Præde st. Sanct. cap. 9. sic ait: Illi, *quibus salus religionis hujus* (licet) *non credituris tamen annuntiata est, in illorum* (electorum) *exemplum demonstrantur.*

* * *Quæ-*

* * *Quæritur* præterea: *An DEUS quoque pro singulis parvulis, etiam qui sine baptismo reipsa decedunt, conferat Gratias actuales proxime, vel remote sufficientes*; quibus ex. gr. eorum parentes, obstetrices, curatores &c. illustret & impellat ad certos actus; quos si isti ponerent, tales parvuli pervenirent ad Baptismum? *Resp.* Indubium est, quod DEUS seriam voluntatem antecedentem etiam hos parvulos salvandi habere possit; quin actu tales Gratias utcunque proximius sufficientes & actuales largiatur; si nimirum eas præcise largiri omittat ob prævisionem non consecuturi exinde alicujus fructus (de DEO §. 74. VIII.). *Deinde* indubium item est, quod DEUS voluntate seria optet, ut Gratiæ sufficientes, quas etiam infidelibus adultis parentibus aliquando dat per dicta §. 286., ita sint in his efficaces, ut istis conversis etiam baptismus prolium ipsorum locum habere possit. Quæ proin Gratiæ, parentibus infidelibus ad consequendam fidem datæ, utique remotissime sufficientes dici possunt respectu baptismi prolium eorundem. Neque negari potest, DEUM similes subinde Gratias sufficientes actuales etiam fidelibus parentibus largiri posse, & quandoque solere; quibus si recte uterentur, proles illorum, qui nunc baptismo carent, ad istum perduci possent. Sed *denique* quod speciales Gratias actuales, non remotissime, sed propius sufficientes, DEUS conferat respectu omnium parvulorum, ex parentibus etiam paganis genitorum, qui adhuc ne nomen, aut rem baptismi perspectam habent, istud equidem unde satis probetur, non video. Certe S. Augustinus Epist. 107. ad Vitalem simpliciter dicit: *Aliquando cupientibus, festinantibusque parentibus, ministris quoque volentibus & paratis, DEO nolente non datur; cum repente, antequam detur, expiret, pro quo, ut acciperet, currebatur.* Si recte intelligo Augustinum, hoc vult dicere: quia DEUS prævidet, miraculum in tali

 casu

casu patratum pro conservanda parvuli vita non profuturum bono communi; ideo non vult hoc medio unice sufficiente salvare parvulum voluntate consequente. Atqui miraculis pœne opus esset in omnibus parvulis paganorum, qui in ætate tenera moriuntur, ut facultas vel remote sufficiens suppeteret, qua pervenire possent ad baptismum.

* * * *Quæres* porro: quem verum sensum habeat vulgare axioma: *Facienti, quod est in se, DEUS non denegat gratiam? Resp.* Sensum proprium generalem hunc esse: etsi DEI Gratia supernaturalis interna variis modis, ad posse, ad velle, & agere, necessaria nobis sit; tamen idcirco & eo nomine non est, cur saluti & profectui nostro in bono timeamus: quia, modo ex parte nostra defectus non sit in abusu libertatis propriæ, ex parte DEI Gratia nunquam nobis deerit, quæcunque erit necessaria, & quæ salvo bono majore communi nobis etiam solum utilis esse poterit ad utrumque finem. DEUS enim *nullo modo adhuc merentibus*, ex. gr. *infidelibus*, imo *etiam actu male merentibus*, puta *peccatoribus* gratuita benevolentia offert auxilia sufficientia interna supernaturalia, quibus ad justitiam pervenire possint, eaque tot & tanta, quot & quanta sine boni majoris præjudicio, & cum aliquo fructu vel ex parte ipsorum, vel aliorum, se eis largiri posse intelligit. Pariter *justis* dat, & dare semper paratus est omnes Gratias sufficientes ad servanda omnia DEI mandata, & ad perseverandum in justitia semel accepta usque ad finem; quæcunque nimirum utiliter & decenter, id est, sine præjudicio salutis maxime communis dare potest. Hunc sensum inde a §. 284. plane probavimus. Qui alium sibi finxerit; videat, utrum & ipse probare possit. *Fuere* quidem, qui id axioma hoc sensu afferent:

rerent: *Bene utenti viribus naturalis liberi arbitrii*, ad actus nempe quosdam faciliores moraliter bonos (secundum dicta §. 270.), *DEUS non denegat Gratiam supernaturalem*. Sed cum propterea non negarent, DEUM etiam non bene utentibus naturali libero arbitrio, imo etiam male merentibus, dare Gratias supernaturales; neque etiam tenerent, meritis naturalibus præviis rependi ista Gratiam supernaturalem instar præmii a DEO justo concedendi: citra fundamentum Pelagianismi accusati fuere auctores isti: etsi proprium & completum sensum istius axiomatis non explicarint. Pariter verus quidem est ille sensus hujus axiomatis: *DEUS facienti, quod est in se per vires Gratiæ remote sufficientis, non denegat Gratiam proxime sufficientem*: sed itidem non complete omnem illam veritatem enuntiat, quam revera subftare huic axiomati paullo ante affirmavi.

ARTICULUS VI.

DE GRATIA INTERNA ACTUALI EFFICACI.

§. I.

Quæ dogmata fidei in hoc argumento sincerissime tenenda sint.

288.

Gratia *efficax* est benevolentia DEI, qua non solum confert actu auxilium Gratiæ actualis internæ supernaturalis simpliciter sufficiens, sed etiam vult per illud, ut caussa principalis, ex certa scientia, & voluntate consequente positiva

(de DEO 99.) simpliciter efficaci, determinare existentiam actus liberi creaturæ rationalis theologice formaliter boni (258.). Vide item de DEO §. 101.

289.

I. *Effectus Gratiæ efficacis est ipse actus liber bonus.*

II. *Effectus iste est a duplici principio libero, nempe a DEO per Gratiæ auxilium actu influente, & a libertate creaturæ rationalis.* Unde Apostolus I. Cor. XV. 10.: *Abundantius omnibus laboravi: non ego autem; sed Gratia DEI mecum.*

III. *DEUS per auxilium Gratiæ efficacis est caussa principalis libera; creatura vero rationalis solum est instrumentalis caussa libera.* DEUS enim & libertatem ipsam & hujus facultatem moralem completam dat (280.); & illustrando, ac movendo, hanc prior impellit ad agendum (de DEO §. 126.): creatura vero concurrit ut impulsa prius a DEO, libere tamen. Idem probe exprimit Apostolus citatis modo verbis.

IV. *Effectus Gratiæ pure sufficientis est facultas sola moralis supernaturalis libera ad actum bonum* (280. 258.).

V. *DEUS conferens Gratiam pure sufficientem præter benevolentiam antecedentem generalem solum conjunctam habet voluntatem consequentem positivam efficacem de collatione ipsius auxilii Gratiæ sufficientis, & voluntatem consequentem negativam seu permit-*

permittentem respectu dissensus seu actus mali creaturæ, cum odio displicentiæ & aversatione istius conjunctam. Ex adverso conferens auxilium Gratiæ efficacis conjunctam habet voluntatem consequentem positivam simpliciter efficacem, non solum de collatione ipsius auxilii sufficientis ad facultatem moralem liberam completam, sed etiam de existentia ipsius actus boni creaturæ absoluta; cujus ipse per eam Gratiam futurus est ratio partialis principalis ultima, una cum creatura rationali: quæ voluntas DEI consequens conjuncta est cum amore quodam complacentiæ & appetitione illius actus boni simpliciter & intrinsecus efficace: imo in electis conjuncta est cum affectu speciali libero, præferente existentiam meritorum æque ac gloriæ illorum liberationi reproborum & omissioni totius consilii creationis (de DEO §. 83.).

VI. Cum ergo benevola voluntas ad essentiam Gratiæ pertineat (243.): voluntas autem DEI benevola præsertim consequens, qua exhibetur Gratia efficax, intrinsece differat a voluntate consequente, qua Gratia pure sufficiens confertur (V. hic): idcirco *evidens est, Gratiam efficacem in omni statu morali creaturæ rationalis intrinsece differre a Gratia mere sufficiente.*

290.

Dogma catholicæ fidei est, omnes actus salutares, cum actu eliciuntur, nunquam elici nisi dependenter a Gratia efficaci, ita, ut ob hanc dependentiam vere & primario illi actus, seu ipsa merita nostra qualiacunque, evadant dona DEI. Dogma enim hoc 1.) in SS. Scripturis clare enuntiatur. Nam *a*) ad Philipp. II. 13. Apostolus aperte & universe pronuntiat: *DEUS est, qui operatur in vobis*

vobis & velle, & perficere pro bona voluntate, id est, ut, quæ bene vultis, perficiatis (τὸ ἐνεργεῖν ὑπὲρ τῆς εὐδοκίας); quod quidem Syriaca versio sic plane exprimit. *b*) Ad Ephes. II. 8. *Gratia*, ait, *salvati estis per fidem, & hoc non ex vobis: DEI enim donum est . . . Ipsius enim sumus factura, creati in Christo JESU in operibus bonis, quæ præparavit DEUS, ut in illis ambulemus.* *c*) Ezech. XXXVI. 26. dicit Dominus: *Auferam cor lapideum de carne vestra, & dabo vobis cor carneum* (id est, mobile, & humanum), *& faciam, ut in præceptis meis ambuletis.* *d*) Ad Rom. V. 5. *Caritas DEI diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.* Item ibid. XII. 3. *DEUS unicuique divisit mensuram fidei.* Enimvero hæc omnia dicta unum id enuntiant, videlicet, DEUM esse primarium auctorem bonorum operum; hæc ab illo nobis donari; illum in ea omnia influere auxilio gratiæ suæ. *Adde* dicta in Tract. de DEO §. 86. de *prædefinitione meritorum.*

2.) S. Augustinus hoc dogma præcipuo quodam modo tanquam certam fidei catholicæ regulam contra Pelagianos propugnavit; cum ab eis admittendam esse *Gratiam* non solum *possibilitatis*, sed etiam *voluntatis*, & *actionis*, constantissime urgeret, id est, *Gratiam adjuvantem* (261. not. 2. 257.). Et quidem protracto in lucem universo errore Pelagii in Lib. de Gratia Christi, cap. 25. sic corrigit eundem. *Desinat itaque jam Pelagius & se ipsum & alios fallere, contra DEI Gratiam disputando. Non propter illorum trium unum, id est, propter possibilitatem bonæ voluntatis atque operis, sed etiam propter voluntatem & operationem bonam erga nos Gratia DEI prædicanda est. Nam illam possibilitatem ad utrumque valere definit; & tamen non ideo tri-*

tribuenda sunt DEO etiam nostra peccata; sicut & propter eandem possibilitatem (solummodo) *vult tribuere bona opera nostra. Non ideo tantum adjutorium divinæ Gratiæ commendetur; quia possibilitatem adjuvat naturalem. Desinat dicere: quod possumus omne bonum facere, dicere, cogitare, illius est, qui hoc posse donavit: quod vere bene vel agimus, vel loquimur, vel cogitamus; nostrum est. Desinat, inquam, ista dicere. Non solum enim DEUS posse nostrum donavit atque adjuvat; sed etiam velle & operari operatur in nobis. Non quia nos non volumus, aut nos non agimus: sed quia sine ipsius adjutorio* (efficaci, seu actum ipsum adjuvante) *nec volumus aliquid boni, nec agimus. Quomodo enim dicitur: quod possumus bene agere, DEI est; quod autem agimus, nostrum est; cum dicat Apostolus* (ad Rom. VIII. 14.): *Quotquot spiritu DEI aguntur, hi filii sunt DEI. Profecto ut agant, quod bonum est, ab illo aguntur, qui bonus est . . . Istam DEI Gratiam in divinis elogiis manifestam etiam Pelagius manifeste fateatur . . . Cogitationem & electionem, sicut sunt discernenda, discernat . . . . Et cum sit utrumque DEI donum, sed unum minus, alterum majus; non hic justitiam nostram supra laudem justificatoris nostri extollat, ut horum duorum quod minus est, divino tribuat adjutorio; quod autem majus est, humano usurpet arbitrio. Et si consenserit, nos Gratia DEI accipere caritatem, non sic sentiat, tanquam ulla merita bona nostra præcesserint.* Porro idem docuere ceteri SS. PATRES ante Augustinum; ut patet ex eorum textibus §. 264. nro 2. citatis.

3.) CONCILIA, inprimis *Arausicanum II.* & *Tridentinum* in Canonibus §. 264. n. 3. & §. 265. n. 3. citatis, idem dogma fidei definiere: & quidem *Arausicanum* præcipue Can. 3. 9. & 25. ibidem cita-

citatis. Adde his *Concilii Carthaginensis XIV.* an. 418. celebrati, in quo Pelagii & Cœlestii errores damnati fuere, & cujus denique sententia a Zosimo Papa, melius edocto, confirmata fuit (de primo homine §. 208.) Capitulum quartum, quod ita habet: *Siquis dixerit, Gratiam DEI per JESUM Christum propter hoc tantum nos adjuvare; quia per ipsam nobis revelatur & aperitur intelligentia mandatorum, ut sciamus, quid appetere, quid vitare debeamus: non autem per illam nobis præstari, ut, quod faciendum cognovimus, etiam facere diligamus, anathema sit. Cum enim dicat Apostolus:* scientia inflat; caritas vero ædificat: *valde impium est, ut credamus, ad eam, quæ inflat, nos habere Gratiam Christi, & ad eam, quæ ædificat, non habere: cum sit utrumque donum DEI, & scire, quid facere debeamus, & diligere, ut faciamus.*

291.

Dogma alterum catholicum circa efficacem Gratiam hoc est, quod ista sic stet cum libertate ab omni necessitate antecedente, ut actus iidem boni ac salutares vere simul sint merita hominis justi, DEI Gratiæ efficaci cooperantis. Patet hoc dogma partim ex dictis §. 283. de Propositione III. Jansenii, partim ex dictis jam in Tract. de DEO §. 86.: ubi ostensum, gloriam instar *mercedis* non nisi *meritis* adultorum hominum a DEO retribui. Interim ex instituto hoc dogma probavi in Eth. christ. univ. §. 545. seqq. Hoc nempe vult Apostolus dicens I. Cor. XV. 10.: *Abundantius omnibus laboravi: non ego autem: sed Gratia DEI* mecum. Hoc docuit *Augustinus* L. de spir. & lit. c. 33. *DEUS quidem & ipsum bonum velle operatur in homine, & in omnibus misericordia ejus prævenit nos; sed consentire vocationi DEI, vel ab ea dissentire, propriæ est voluntatis.* * Præ-

* Præter hæc nulla unquam ex proposito & destinato consilio fuit S. Augustino cum Pelagio, vel Pelagii discipulis, neque etiam cum Semipelagianis, disputatio *de modo efficaciæ* Gratiæ Christi: nam quod medicinalem, id est, fortiorem Gratiam in statu naturæ lapsæ, quam integræ, requiri asseruerit, id jam ad ipsam *sufficientiam* Gratiæ, non præcise ad *efficaciam*, pertinet. Sed nec Romani Pontifices, *Innocentius I.*, *Zosimus*, *Cœlestinus I.*, nec Concilia *Carthaginense XIV.*, *Milevitanum*, *Arausicanum II.* (ex quorum decretis unice, quid ad hæresin Pelagianam, & Semipelagianam referendum sit, dijudicare oportet, & a quibus utrique isti hæretici inprimis solenniter damnati sunt) ultra prædicta duo quidquam ad dogma fidei circa divinæ *Gratiæ efficaciam* pertinere usquam docuere. Imo in *Auctoritatibus Sedis Apostolicæ Episcoporum* (quæ vulgo pro Decretis Cœlestini I. Papæ habentur; etsi alii eas huic non sine gravi fundamento abjudicent, ac potius Prospero, qui Cœlestino a secretis fuit, attribuant, vel incerto auctori supparis ætatis) post enumerata dogmata adversus Pelagianos tenenda, n. X. ita subjicitur: *Profundiores vero difficilioresque partes incurrentium quæstionum, quas latius pertractarunt, qui hæreticis restiterunt, sicut non audemus contemnere, ita non necesse habemus adstruere: quia ad confitendum Gratiam DEI satis sufficere credimus, quidquid Apostolicæ Sedis nos scripta docuerunt.* Sed nec ipse S. Augustinus voluit, ut omnia ab ipso etiam ex incidenti solum scripta eo solo nomine, quod ab ipso scripta sint, continuo amplectamur. *Neminem*, inquit in Lib. de bono persev. cap. 21., *velim sic amplecti omnia mea, ut me sequatur, nisi in iis, quibus me non errare perspexerit. Nam propterea nunc facio libros, in quibus opuscula mea retractanda suscepi, ut nec me ipsum in omnibus secutum fuisse demonstrem . . . Sed interest, quantum, & in quibus rebus erretur.* Quam libertatem aliis in se legendo tribuebat, hanc in legendis aliis ipse

sibi

fibi vendicare fe profitetur Epift. 19. ad Hieron. fcribens: Nam *alios quidem ita lego, ut quantalibet fanctitate doctrinaque præpolleant, non ideo verum putem, quia ita fenferunt ipfi, fed quia mihi vel per auctores canonicos, vel probabili ratione, quod a vero non abhorreat, perfuadere potuerunt.* Solis libris canonicis didicerat hunc honorem habere, ut nullum eorum auctorem fcribendo aliquid erraffe firmiffime crederet.

292.

I. *Itaque Gratia efficax, quamvis a S. Augustino* omnipotentiffima, efficaciffima, invictiffima, infuperabilis, & indeclinabilis *prædicetur, pro certo tamen cenfenda eft relinquere fimultaneam in voluntate veramque non agendi poteftatem.* Libertas enim a neceffitate antecedente non eft nifi fimultanea poteftas agendi, vel non agendi, immunis ab omni determinatione completa natura priore ad alterutrum.

II. *Gratia efficax non poteft effe Gratia neceffitans.* Sic enim jam non effet adjutorium libertatis, fed everfio iftius.

III. *Gratia efficax etiam una cum ipfa voluntate & ceteris requifitis ac conditionibus natura prioribus non poteft effe ratio a priori completa efficiens actum liberum.* Sic enim rurfus ifte neceffitate antecedente ex ea confequeretur, nec proinde liber a tali neceffitate foret.

* Co-

* Corollaria ista, ceu non nisi ipsum dogma libertatis in composito stantis cum efficacia Gratiæ enuntiantia, sic ad dogma ipsum pertinere censendi sunt ab omni probe catholico Theologo, ut, siqua scholæ doctrina his repugnare ratiocinio evidente conclusionem theologicam inferente, ostendatur, pro errore præjudicanda omnino sit. Ex adverso quoniam Calvinus & Jansenius affirmate docuere, *Gratiæ efficaci resisti non posse*, id est, non componi cum ea potestatem non agendi, nec proin manere libertatem a necessitate; idcirco hæresis, dogmati a diametro contrariæ, ab Ecclesia damnati sunt.

§. II.

Quæ diversa placita Scholarum circa modum efficaciæ Gratiæ divinæ.

293.

Pelagiani & *Semipelagiani* errarunt *circa efficaciam Gratiæ* in eo, quod & efficacis Gratiæ necessitatem, seu Gratiæ divinæ necessarium influxum in omnes actus salutares, vel certe in fidei initium negarent, & ipsos actus bonos esse DEI dona inficiarentur (261. not. 2.): *circa libertatem vero compositam Gratiæ cuicunque* hallucinati in eo sunt, quod identidem oggererent Augustino: *Si Gratia DEI necessaria est, libertas homini deficit* (§. 264. not. 6. nro 3.). Ubi nota: Pelagianos per Gratiæ necessitatem existimasse libertatem everti, *non per excessum*, quasi Gratia esset aliquid ad operandum necessitans; *sed per defectum*; eo quod nimirum homini deficiente Gratia deficeret aliquod re-

requisitum ad actum salutarem ponendum necessarium. Unde satis erat eis respondere: nulli Gratiam deficere, aut negari a DEO, saltem sufficientem. Quo responso motus Pelagius denique ipse Gratiam admisit (utique indifferentem; quin hoc unquam in Pelagio reprehenderit Augustinus) sed vide, quo sensu eum nihilominus adhuc reprehendat S. Doctor. *Pelagius*, inquit Lib. de hæres. cap. 88.; *increpatus a fratribus, quod nihil tribueret adjutorio Gratiæ DEI ad ejus mandata facienda, hactenus cessit, ut non eam libero arbitrio præponeret, sed infideli calliditate supponeret, dicens, ad hoc eam dari hominibus, ut, quæ facere per liberum arbitrium jubentur, facilius possint implere per Gratiam. Dicendo utique, ut facilius possint, voluit indicare, etiamsi difficilius, tamen posse homines sine Gratia divina facere jussa divina.* Ex quo patet, in sensu Augustini *Gratiam supponere libero arbitrio* nihil esse aliud quam dicere, liberum arbitrium per solas vires naturæ jam esse completum ad mandata DEI omnia facienda, antequam Gratia juvetur. *Rursus* eo ipso nomine Gratiam propter aliqua merita liberi arbitrii mere naturalis dari dicebant: quia alioquin ipsis videbatur, hominem non habiturum salutem in manu consilii sui, sed ob Gratiæ defectum fatali quadam necessitate periturum cum impotentia faciendæ salutis. Hoc itaque, non alio sensu ac nomine Pelagiani S. Augustinum Manichæismi accusabant, & de fatali necessitate ab eo inducta; cujus accusationis alterum item argumentum a peccato originali repetebant, quod propagatione traduci in posteros Adami Augustinus item defenderat, non solo exemplo, ut volebat Pelagius.

294.

Alio titulo postea tum *Semipelagiani*, tum *Wicleffistæ, Calvinistæ*, & *Jansenianí* sublatam ab Augustino libertatem in negotio humanæ salutis voluere, dum ei affingerent tale prædefinitionis meritorum & prædestinationis genus ab eo assertum, quo solus DEUS pro arbitrio & potestate prædefiniret quosdam ad bonum, ad perseverantiam in bono, & ad salutem ipsam; quosdam vero ad malum & ruinam æternam, ut nec impedire eam, nec impetrare possit quisquam propriæ abusu, vel bono usu libertatis. Dixi de hoc abunde in Tract. I. de DEO §. 87. not. 2. §. 93. not. 2. §. 94.

295.

Post hæc omnia insanientium hæreticorum scommata demum *Scholarum* illa acerrima *contentio de modo efficaciæ divinæ Gratiæ* circa annum 1580. occepit. *Primus* in acie hac tam incerta, & nullis SS. Literarum, Traditionis Ecclesiasticæ, vel SS. Patrum vestigiis satis expressis trita, cum dictatoria virga comparuit *Dominicus Bannez* ex Ordine S. Dominici, S. Thomæ Aquinatis in hac re doctrinam unice tenendam propugnans; secundum quam, uti affectus omnes naturales, ita & actus quicunque liberi, hominum & Angelorum, *prædeterminatione physicâ divina*, id est, actione seu concursu DEI ejusmodi determinarentur; quæ prior esset actione creaturæ, & ratio, ex qua intelligeretur, cur creatura ageret; id est, qua, ceu concursu suo immediato (de DEO §. 125.), DEUS, ut *supremus Dominus*, & *ens primum liberum*, & speciem & individuum actus cujusque liberi crea-

turæ ſic pro ſuo unius arbitrio & poteſtate determinaret, 1.) ut ea *prædeterminatio* ſic *neceſſaria abſolute* ſit, ut ſine illa, uti nullus effectus naturalis, ita nec actus liber creatus poſſibilis (extrinſeca utique poſſibilitate) ſit: 2.) ut prædeterminatio illa ſit *DEO ſoli libera*, 3.) ut a creatura rationali *nec impediri poſſit*, ne exiſtat; *nec declinari* quo minus effectum ſortiatur; ac proin 4.) ut ſit *per eſſentiam connexa cum actu libero*. Neceſſitate admittendam hanc prædeterminationem divinam, ajebat, idcirco præcipue; quod ſecus *DEI dominium*, ceu primi entis liberi, ac primi motoris rerum omnium exiſtentium, ſalvari non poſſit. Denique etſi Gratiæ divinæ ſufficientis auxilia qua talia in illuſtratione & inſpiratione divina reponeret, & admitteret omnibus concedi Banneſius; tamen ultra hæc, ut actus liber bonus quiscunque actu conſequeretur, requiri hunc prædeterminationis divinæ concurſum, ſicuti in quibuscunque aliis eventis naturalibus, docebat; quem & idcirco *qualitatem mortuam* (id eſt, ab illuſtratione & omni motione vitali diverſam) & *impulſum DEI phyſicum* appellabat. *Errabat* haud dubie *Banneſius in conceptu dominii divini*, putans, ad iſtud pertinere, ut DEUS per quamlibet, utcunque parvam, Gratiam quemlibet *etiam in individuo* actum liberum creaturæ ſuæ rationalis pro arbitrio obtinere, ubi, & quando, & quomodo libuerit, poſſit; id quod utique fieret, ſi deſcripta qualitas mortua ſalva libertate actus locum haberet. At enim refutavi iſtud plane in Tract. de DEO §. 122.; ceteræ quoque ſcholæ omnes ad dominium DEI pertinere haud exiſtimarunt, ut DEUS per quamvis Gratiam quemvis actum liberum *in individuo*, ſed ſolum ut quemvis talem actum *in ſpecie*, ope nimirum certæ ſolummodo intenſioris Gratiæ (prout efficaciam Gratiæ diver-

ſo

ſo modo explicabant) ſi vellet, obtinere poſſit. Exarſit quoque vehemens *diſputatio negantium & ajentium, a S. Thoma Aquinate traditam fuiſſe hujuscemodi prædeterminationis doctrinam. S. Auguſtinus* quoque utraque in caſtra ſuppetias vocabatur. Sed denique nuſpiam claris Scripturæ textibus, nuſpiam Patrum traditione, aut Eccleſiaſtica definitione pugnabatur: ſed ſpeculatione & ratiociniis ſubtilibus res omnis agebatur, quin & Logogryphis, quorum acumen omne unice veteris illius obſcuritate Metaphyſices nitebatur. Convenere denique brevi reliquæ ſcholæ omnes (Banneſiana excepta, quam ne S. Dominici diſcipuli omnes ſequebantur) in eo, ut id genus *prædeterminationem*, ſolo ſcholaſtico acumine innixam, *certo libertatis humano dogmati officere* tenerent. Et vero *ratiocinium*, poſt melius explicatas metaphyſicas notiones, niſi me omnia fallunt, id plane *demonſtrans*, ita breviter habet. Secundum conceptum ab ipſo Banneſio datum prædeterminatio, Decreto divino conceſſa, ratio eſt, ex qua *prius* intellecta, tanquam complete ſufficiente, ultima, & unice ſe tenente ex parte DEI, poſitis ſimul reliquis requiſitis actus primi proximi complete intelligitur, cur ſequatur in caſu individuo actus liber bonus creaturæ. Ergo ex ea, compoſita toti actui primo proximo reliquo, actus liber ſequitur ceu rationatum ex ratione ſua ſufficiente, completa, ultima, ſe priore in ordine exiſtendi. Atqui quidquid in ordine exiſtendi exiſtit ita, ut ſequatur ex alio, tanquam ex ſua ratione ſufficiente, completa & ultima, & ex ea prius intellecta immediate conſequi ultimato intelligatur; neceſſitate antecedente exiſtit, nec proin liberum eſſe poteſt. Ergo prædeterminatione actus non liber, ſed neceſſitate antecedente neceſſarius, prædeterminatur. His *adde* argumenta allata in Tr. de DEO §. 45. not. 5. & 6.

* Hodie quidem vel apud ipsos Bannesii affectas, saltem Romæ (sic quidem theses publicæ docent) magna e castris desertio est, plurimis Bertianam doctrinam sequentibus; quæ pedetentim etiam in Germania apud plerosque monasticos Doctores obtinere incipit: de qua inferius dicetur. Ceterum quia consequentias, quæ huic opinioni ab aliis non sine fundamento objiciuntur (videlicet, quod tollatur in ea libertas, & Gratia pure sufficiens in eis, qui prædeterminatione carent) non putabant consequi ejus patroni; sed ipsi potius dogma utrumque & libertatis & Gratiæ pure sufficientis semper defenderint: idcirco hæresis accusari a nullo sano & moderato Theologo debuerunt.

296.

Primus Salmanticæ in thesibus publicis se opposuit Bannesio an. 1581. *Prudentius de Monte Major*, e Societate JESU Theologus, rejectis decretis prædeterminantibus scientiam DEI conditionate futurorum propugnans, & Gratiæ efficacis *auxilia* ejusmodi, quæ secundum se immediate spectata nihil a pure sufficientis Gratiæ auxiliis differrent, sed solum ex parte benevolæ divinæ voluntatis ea concedentis ex prævisione infallibili futuri consensus creaturæ. Accusatus continuo scripto quodam Pelagianismi a Bannesio Prudentius, ab Inquisitione Hispanica ut innocens est absolutus. *Leonardus Lessius* alter e Societate JESU Theologus Lovanii eandem cum Prudentio doctrinam tradiderat; atque item instigante Bajo, ac iram memorem expromente, an. 1587. a Lovaniensi Facultate thologica gravi censura de peregrina & periculosa doctrina idcirco notatus est. Sed correxit censuram hanc *Sixtus V.* Papa, ad quem Lessius appellavit; & hujus doctrinam, prius in Cardinalium Consistorio examinatam, *suam* esse dixit, simulque

præci-

præcipua ejus capita *ut ſanæ doctrinæ articulos* probavit. Miſſus mox ad hanc litem ſopiendam Lovanium Apoſtolicus Nuntius, edicto promulgato vetuit ſub Excommunicationis pœna, ne quis alterutram partem erroris condemnaret. Succeſſit his tertio loco *Ludovicus Molina*, item e Societate JESU Theologus, qui non theſibus publicis, ſed integro & juſtæ magnitudinis libro *de concordia liberi arbitrii & Gratiæ* Prudentii doctrinam ſuſtinens, & nomen ſuum, & æterna partis adverſæ odia, cunctis Prudentianæ doctrinæ defenſoribus veluti hæreditaria reliquit. Liber iſte a Banneſio Pelagianiſmi accuſatus etiam, antequam lectus, nihilominus ſine ulla correctionis nota, examinante illum Bartholomæo Ferreira Inquiſitore Dominicano, maximo cum encomio a Luſitano Inquiſitionis Senatu approbatus, & contra Banneſii criminationes defenſus eſt. Doctrinam in eo contentam mox arripuere celeberimæ Hiſpaniarum Academiæ Saragoſſæ, Granatæ, Seviliæ, Toleti, & in Luſitania Univerſitas Salmanticenſis & Complutenſis. Sed præludia hæc ſolum erant longe acrioris pugnæ. Romæ accuſatus liber Molinæ apud Clementem VIII., & duobus Cardinalibus Dominicano ex Ordine, Alexandrino & Aſculano, item Franciſco Pegna, Rotæ Romanæ Auditore, olim amico, nunc hoſte Societatis acerrimo, urgentibus, examini octo virorum (quorum ſex Banneſio devoti) ſubjectus. Primum quidem notatæ fuerunt privatis illorum ſex Theologorum cenſuris propoſitiones ſexaginta; ſed præcipiti, ut poſtea apparuit, judicio; mox viginti tantum, tum ſex, aut ſeptem, mira cenſorum inconſtantia, ita, ut, nulla denique iſtorum cenſorum ratione habita, Clemens VIII. Pontifex ſe præſente Librum Molinæ in publico conſeſſu novo ſolennis diſputationis examini ſubjici juberet. Prima diſputatio celebrata eſt 20ma Martii an. 1602.: & poſt

triginta septem Congregationes sine caussæ decisione, Clemens VIII. fato abreptus est, probe quidem de Molinæ doctrina, sed nihil admodum de indole prædeterminationis physicæ edoctus; cujus examen Paulo V., Leonis XI. brevissimo Pontificatu defuncti successori, reservatum fuit; cum eo usque disputatio ad solum examen Libri Molinæ jussu Clementis VIII. restrictum esset, & Patres Dominicani, actoris, non rei, partes sibi imponi debere, contenderent. Sed Paulus V. in decem adhuc celebratis Congregationibus etiam prædeterminationem ad examen vocari jussit. Tandem post quadraginta septem universe Congregationes Pontifex finem aliquando caussæ facturus, judicium a censoribus expetiit, sed privatim a quolibet, nulla inter se habita consultatione, exponendum. Mensibus fere quatuor in hoc elaborando consumtis sententiæ tam variæ, tam perplexæ fuere, ut Paulus V., illis continuo improbatis, permitteret, ut collatis studiis communem aliam censuram adornarent: quæ tamen & ipsa, ut male undique cohærens, nec idoneis nixa rationibus, pariter rejecta fuit. Quapropter Paulus V. 28va Augusti an. 1607. Congregationem omnium Cardinalium, quibus judicia censorum prius communicata fuerant, celebravit; in qua quid actum fuerit, nemini huc usque innotuit; summa cura adnitente Pontifice, ut Cardinalium suffragia occulta manerent. Effectus in publico fuit Epistola Encyclica a Paulo V. ad duos Generales Ordinum, S. Dominici & Societatis JEsu directa, cum mandato, ut ad omnes totius Ordinis cujusque Provinciales mitteretur. Ea in Epistola summus Pontifex prohibet, ne quis in hac quæstione de Gratia efficaci ulla censura partem adversam scholæ alterius notaret, jubens simul, transgressores hujus præcepti graviter plecti a superioribus suis.

Hostes

Hostes Molinæ spretis Pontificiis Decretis, etsi sæpius postea iteratis, tria præcipue facta, ad ignominiam ejus doctrinæ & hujus defensoribus inurendam postea sparsere: 1.) doctrinam Molinæ Pelagianismi in his disputationibus convictam, 2.) idcirco jam paratam a Paulo V. Bullam fuisse (cujus & exempla circumferebant) in qua doctrina Libri Concordiæ, certis concepta propositionibus, hæresis damnaretur; solumque ultimas Patrum Societatis preces, & exilium e Statu Veneto, quod pro Pontificii Interdicti defensione ultro subierant, intervenisse, ut parcendum Pontifex eisdem duceret, nec duplici malo tam addictos Sedi Apostolicæ homines affligendos: imagini quoque factum deprecantium flexis genibus Pontificem sociorum insculpsere, fortassis ad legem silentii eludendam: 3) addidere demum anecdotum illud, quod Gregorius Valentia, primus Molinæ sub Clemente VIII. advocatus, sub ipso disputationis æstu animi deliquium passus fuerit, eo quod de textus S. Augustini corruptione palam a Thoma de Lemos adversario convictus, & idcirco palam reprehensus a Clemente VIII. fuerit.

Verum id genus scommata, duo priora inprimis non tam Molinæ famam lædunt, quam honorem Pauli V. Pontificis; cujus æterna macula erit, si post Pelagianos tanto S. Augustini labore expugnatos, novas eorum reliquias non solum impune toleraverit, sed etiam contra vere catholicorum Doctorum justam oppugnationem securos voluerit, &-*sciens* defenderit. Itaque *quod primum attinet*, optem assignari denique aliquod dogma, Molinæ cum Pelagianis commune, quod S. Augustinus in istis ceu hæresin damnarit. *Non nisi tria sunt, quæ*, a S. Doctore hoc *contra Pelagianos & Semipelagianos* asserta, *Ecclesia* suis oraculis *confirmavit*; nem-

pe Gratiam non dari ob merita nostra; ejus necessitatem ad omne opus salutare; ac denique efficaciam ejusdem sub infallibili prædefinitione meritorum. Quid horum unquam Molina negavit? *Quod Molinistas attinet* (ita respondet in Adnot. I. Illustrifs. Bossuetus celebri Calvinistæ Jurieu, criminanti Ecclesiam Romanam, quod compertos Pelagianos in sinu suo toleret) *si modo oculos apertos haberet, facile intelligeret, quod illi circa omnes electos admittant gratuitam prælectionem misericordiæ DEI, Gratiam semper prævenientem, semper ad quævis pietatis opera necessariam iis, qui ista operantur: id quod nemo admissum a Semipelagianis fuisse probaverit.* Alexander Natalis in Hist. Eccl. sec. V. cap. 3. art. 5. §. 13. n. 13., ipse quidem ex Ordine S. Dominici, sustinere se eos posse negat, qui exemplo Jansenii, quem citat in margine, temeraria censura notant, & cum Pelagianis erroribus confundunt Molinæ doctrinam; quos, ait, lædere veritatem, violare caritatem, & turbare pacem Ecclesiæ. Etsi vero iste scriptor ipse probet, Augustinum non solum de Gratiæ necessitate, sed etiam de ejus Gratiæ intrinseca efficacia disputasse; tamen fatetur, priorem solam ab Augustino pro fidei dogmate assertam, nec eum Pelagianos pro hæreticis fuisse habiturum, si rejecta quidem Gratia per se efficaci, Gratiæ tamen necessitatem generalem ad omnia opera salutaria, etiam ad initium fidei, admisissent. Exinde in artic. 8. describens errores Semipelagianorum, auctores recentiores, qui defensores scientiæ mediæ cum his hæreticis confundunt, declarat esse homines imprudentes ac temerarios, qui dogmata Massiliensium ignorent, vel quibus præposterum partium studium oculos glaucomate obducat, ne videant veritatem. Argumenta, quæ Natalis in favorem Molinæ affert, cum ejus Historia Ecclesiastica in perpetuum inconcussa

cuſſa apud eos ſubſiſtent, qui veritatem privatis affectibus habent potiorem. *Ajunt* quidem vulgo, Molinam *Gratiam libero arbitrio ſupponere* (id quod in Pelagianis toties culpaverit Auguſtinus) eo quod ejus efficaciam ab ipſo concurſu creaturæ & conſenſu repetierit. *At enim* jam ſupra §. 293. oſtendi, *Gratiam ſupponere libero arbitrio*, in ſcriptis Auguſtini adverſus Pelagium longe aliud ſonare, videlicet ſine Gratia jam completum dicere liberum arbitrium ad actus ſalutares, ita, ut Gratia ſolum ad facilius operandum ſerviat; cujus utique nihil ſimile unquam docuit Molina. Et vero non differt Molina a Prædeterminatoribus circa Gratiæ efficacis influxum niſi in eo, quod præter moralem influxum ſive excitationem Gratiæ prævenientis Prædeterminatores requirant DEI motionem phyſicam cauſſalitate priorem, ac prædeterminantem phyſice voluntatem ad conſenſum; Molina vero contendat illam phyſicam DEI actionem natura & cauſſalitate priorem non eſſe, ſed ſimultaneam cum actione voluntatis. En pomum diſcordiæ, de quo tamen nulla unquam contentio cum Pelagianis fuit Auguſtino.

Verum ex his *alterius* quoque *ſcommatis*, id eſt, *Bullæ Paulinæ* Molinam condemnantis, veriſimilitudo omnis evaneſcit. Quid enim reipſa illa damnaverit in hujus Libro ex mente ipſorum adverſariorum, niſi Pelagianorum, aut Semipelagianorum hæreſin ab eo inſtauratam? At hæc nuſpiam in eo invenitur; imo ſpeciali impendio rejicitur, & refutatur. Quidquid vero de Molinæ libro ſenſerint Conſultores Romani, etſi condemnationis formulam illi jam adornaſſent; id certe ad decretorium Pontificis judicium tam parum facit; quam parum advocatorum effata atque aſſerta ſententiæ judicii civilis ſubſtantiam conficiunt. Summu-

mus Christi Vicarius cum aliquo saltem Episcoporum adstipulante numero pronuntiet super dogmate solenniter ac publice, oportet, ut judicium submittere nostrum obligemur. Sed quæ sunt denique documenta, quibus fides omnis hujus Bullæ innititur? Acta varia edita sub nomine Thomæ de Lemos, & Didaci Alvarez; quorum uterque ex Ordine Dominicanorum, & actores ipsi caussæ contra Molinam erant in Congregationibus de Auxiliis; & Francisci Pegnæ Decani Rotæ Romanæ, qui paucis ante annis in opere edito adversus Senatum Curiæ Parisinæ, ex occasione exilii in Jesuitas ab hoc decreti, tantis istos laudibus celebraverat; nunc vero, quod eos Henrico IV. Regi Galliæ nimis quam devotos esse ægre ferret, quem ipse in libro, per sacram Inquisitionem postea reprobato, indignissimum in modum traduxerat, & cujus ex adverso absolutionem Jesuitæ Romæ summis studiis promoverant, internecino odio persequi cœperat, ita, ut non solum Beatificationi Fundatoris Ordinis ipsorum modis omnibus se opponeret; sed & moriens, cum testamento ingentem summam pecuniæ pauperibus scholasticis alendis legaret, eos, qui Jesuitarum scholas accederent, suis ab eleemosynis exclusos voluerit; quæ conditio tam adversa cunctis æquitatis regulis est visa, ut nulla deinde illius ratio sit habita. Taceo, Pegnam ipsum fateri, se magnam partem documentorum suorum a Thoma de Lemos & Didaco Alvarez, Bannesii advocatis, accepisse. Sed quæ demum fides documentis istis apud æquos homines esse poterit; postquam Innocentius X. In Decreto edito an. 1654. 23. Aprilis, conceptis verbis *declarat ac decernit, prædictis Actis Thomæ de Lemos, Francisci Pegnæ, aliorumque Theologorum & Prælatorum, qui, ut asseritur, prædictis interfuerunt Congregationibus, nec non exemplari assertæ Constitutionis Pauli V. ac damna-*

damnationi sententiarum Ludovici Molinæ nullam omnino fidem esse adhibendam. Exempla præterea hujus Bullæ inter se maxime discrepantia circumferuntur, tum quoad formam, tum quoad ordinem, tum quoad numerum propositionum. In aliis Consultores sunt, qui loquuntur, in aliis Paulus V.: nec vero exemplum ullum in publico comparuit nisi circa medium seculi decimi septimi, id est, amplius quadraginta annis post finitas Congregationes de Auxiliis. Alia exempla 50. propositiones damnant, alia 40. Ex his aliquæ, uti prima, ipsam S. Thomæ doctrinam propriam condemnant; aliæ, uti secunda & quarta, contradictoriæ sunt propositionum in Bajo jam anathemate percussarum; aliæ demum, uti tertia, quæ agit de infantibus absque Baptismo defunctis, nunquam in Papæ præsentia fuerunt examinatæ. Credam ego facile adornatas plures Bullas condemnatorias a Consultoribus Molinæ infestis, & postea ab eorum clientibus vulgatas fuisse: sed quod jussu Pontificio id factum sit, hoc probetur documento aliquo probabili; si potest. Ceterum pax cum Venetis a Paulo V. composita jam fuerat quatuor mensibus ante Congregationem ultimam Cardinalium 28. Augusti an. 1607. ab eo pro hujus caussæ finitione congregatam.

Valentiam falsi solus *Lemos* Antagonista in actis suis accusat, non Pegna, non Gregorius Nugnez Augustinianorum Coronellus, non ceteri, qui tanta cura omnia collegere, quæ favere Dominicanis poterant. Nec vero apparet, quid lucri ex falsificatione tali Theologus ille sperare posset; cujus facile & certo ab adversariis se convincendum sciret; nec quid ex inconsideranti lapsu memoriæ, vel oculorum, in allegando textu criminis eidem jure impingeretur. Quot id genus allegationes præposte-

posteras in libris cum mora & reflexione ſcriptis, nec præcipiti in diſputatione ſolummodo effuſas, legimus? Sed quis non rideat, qui R. P. Chouquet Dominicanum in Libro, cui titulus, *Viſcera materna S. Virginis ergo Ordinem Fratrum Prædicatorum*, an. 1634. pag. 326. ſcribentem legat: Thomam de Lemos, os vix ad diſputandum aperientem continuo apparuiſſe circulo quodam ſplendente radiorum undique inſtar coronæ redimitum. Tali miraculo perterritum Valentiam animo concidiſſe jam nemo mirabitur. Sed nec mirum erit, fulmen jam pœne a Paulo V. vibratum in Molinæ librum fuiſſe; cum Jacobus a S. Dominico in *Nova Caſſiopejæ Stella* c. 1. & 2. ſcripſerit, Angelos non niſi eo nomine, ceu DEO rebelles, de cœlo expulſos fuiſſe, quod dogma prædeterminationis, a DEO ſibi ad experimentum fidei capiendum revelatum, rejecerint. Secundum alium ejusdem Ordinis ſcriptorem Simon Magus idem ſyſtema Luciferi exemplo impugnavit; idemque diſputationis S. Petri cum illo impoſtore argumentum fuit.

Jam vero ex id genus Actis conſcripta Hiſtoria Congregationum de auxiliis divinæ Gratiæ ſub ficto nomine Auguſtini le Blank edita eſt an. 1699. a R. P. Fr. Hyacintho Serri Ord. S. Dominici Theologo & Profeſſore Patavino, ſine ordinarii cenſoris approbatione, ſine privilegio Regis, & mox condemnata in Hiſpania a ſacræ Inquiſitionis officio, non ſine acerrimis cenſuris. Illud certe inſolentiſſimum, quod auctor L. I. c. 3. col. 17., & L. II. c. 4. col. 18. omnes pœne Germaniæ Academias, quod Molinæ faverent, nomine tenus appellatas, *ceu obſcuri nominis* Academias traducat. Huic operi poſtea in altera editione additus eſt Apologeticus liber adverſus Levinum Meyer Societatis JESU; qui initio itidem ſub perſona Theodori Eleutherii, tum

pari-

pariter detracta larva, & Historiam & Apologiam Serryanam geminis Tomis (verbis moderatissimi Tournelyi uti liceat Tom. I. Edit. Venet. an. 1739. pag. 421.) *falsi redarguit, ac plene confutavit.* Sed quod denique certius criterium esse poterit, quam justam caussam Bannesiani sub initium seculi decimi septimi defenderint; quam illud, quod modo post seculi decimi octavi medium passim Doctores Theologi ex Ordine S. Dominici a Bannesio ad castra Bertiana transfugiant, & systema duarum delectationum passim Romæ, & in omni Italia, adoptent.

Nihilominus fatendum, ea re maxime Molinam se obnoxium fecisse crisi adversariorum, quod efficaciam Gratiæ simpliciter repetierit a consensu creaturæ, id est, ab ipso effectu; quo loquendi modo ansam dedit inimicis suis, ut sibi objicerent illud, qnod secundum ipsum non DEUS, sed creatura, principalis caussa sit actus moraliter boni: quodque sic non DEUS *discernat* hominem, efficiendo per Gratiam, ut bene agat; sed homo discernat se ipsum efficiendo, ut Gratia efficaciter influat in suum actum moraliter bonum. Unde &, ne sententia hæc a suis doceretur, prohibuit speciali decreto an. 1613. Claudius Aquaviva Præpositus Generalis Societatis JESU; quod decretum postea renovavit Mutius Vitellescbi alter ejusdem Societatis PræpositusGeneralis. Interim non negavit Molina, sedipse omni modo asseruit, Gratiam efficacem esse beneficium ac donum DEI speciale, ex præscientia infallibili consensus cum singulari benevolentia a DEO concedi solitum; ac proinde potius in modo loquendi erravit, notionem Gratiæ revocando ad solum *auxiliam* Gratiæ creatum, nec attendendo, quod ipsa specialis benevola & efficax voluntas DEI rationem Gratiæ intrinsece constituat (243.), quam reipsa offendendo in ullum dogma fidei ab Ec-

cle-

clesia contestatum. Rectius ergo sensit Suarez, apteque correxit Molinæ sententiam, docens, quod, etsi Gratia efficax interne non distinguatur a pure sufficiente, tamen illam majorem esse ista moraliter & in ratione doni ac beneficii: eo quod detur ex prævisione consensus, & ex speciali affectu, ut sequatur consensus. Attamen nec Suaresius illud advertit, ipsam benevolentiam specialem, qua auxilium illustrationis in actu secundo futurum efficax ex certa prævisione & intentione consensus datur, Gratiam intrinsece constituere, ac proinde Gratiam efficacem adæquate sumtam hoc ipso intrinseca nota aliqua a pure sufficiente, etiam salvo in ceteris omnibus Molinæ systemate, differre (289. V. VI.). Quo semel observato evidens est, non hominem consentiendo Gratiæ auxilio se ipsum primo discernere, sed unice DEUM, qui ex certa prævisione consensus, hujusque efficaci intentione (per se quidem impedibili a creatura) hoc Gratiæ auxilium in specie & individuo dare decernit, etiam discernere hominem quemcunque, qui Gratiæ auxilio, ceu ipsius dono mere gratuito, reipsa cooperatur. Prior enim DEUS exercet libertatem actu voluntatis simpliciter efficaci ex certa prævisione consensus creaturæ conditionate futuri decernens dare hanc Gratiam suumque actualem concursum ad actum bonum creaturæ; ac proinde vere se habet relate ad hunc actum ceu ens primum liberum & ut caussa libera principalis: cum creatura tantum se gerat ut ens liberum secundum, & ut instrumentalis caussa libera (289. III.).

297.

Systema Prædeterminationis moralis circa efficaciam Gratiæ, quod ipso tempore durantis controversiæ inter Bannesianos & Molinistas Galli & Belgæ

Belgæ Theologi ceteri, ac schola inprimis Augustiniana, ante ortum systematis duplicis delectationis tenuerunt, sic habet. Gratia efficax, quæ in illustratione & inspiratione indeliberata consistit, sua intensione & vi suadendo, terrendo, invitando, moraliter necessitat ad bonum faciendum, & omittendum malum, sic ut moraliter impossibile sit cum hac præmotione non sequi consensum. *Non tamen conveniebant* auctores illi *in assignanda caussa hujus necessitatis moralis.* Aliqui enim dicebant, eam provenire ex intensione illustrationis & inspirationis, tam claræ & fortis, ut voluntas moraliter non possit reluctari & dissentire. Alii a congruitate eam repetebant, qua hæc inspiratio indoli, loco, tempori, ceterisque adjunctis personæ sic esset attemperata, ut moraliter impossibile sit, hominem in his rerum omnium adjunctis non consentire. Alii cum Thomassino repetunt a multitudine & varietate auxiliorum, qua DEUS sic urget undique hominem, ut moraliter impossibile sit eum dissentire omnibus. Sed *nec consentiebant in explicanda ipsa natura ejus necessitatis moralis*, quam admittebant. Ludovicus Habert tantam esse dicit, quanta est, ut homo prudens & gravis non currat nudus per plateas omnes, aut sibimet effodiat oculos ex joco. Alii tantam dicunt esse, quanta datur in homine pauperrimo ad acceptandam eleemosynam a divite aurum offerente; quæ est vocatio congrua. Thomassinus tantam dicit, quanta est hominis in statu naturæ lapsæ committendi intra tempus longius veniale peccatum.

298.

Gratiæ efficacia non potest explicari per Gratiæ auxilia moraliter prædeterminantia. Moralis enim necessitas bene agendi nihil est aliud quam magnus ex-

cessus motivorum allicientium ad bene agendum supra stimulos absterrentes a bene agendo, sive delectationis, quam experimur in bono agendo, aut molestiæ, quam experimur in omittendo bono, supra delectationem allicientem ad malum, aut supra molestiam occurrentem in malo omittendo (Eth. univ. christ. 131. 326.): eaque relinquit libertatem ab omni necessitate physica antecedente, id est, tali, per quam actus bonus ex hypothesi præsentis auxilii prædeterminantis & cetera facultatis totius dispositione, ceu ex ratione sufficiente completa, eaque natura priore, consequeretur (ibid. 514. 515.). Atqui talis Gratiæ *auxilii* solum eo modo moraliter prædeterminantis *nexus cum actu bono* & consensu creaturæ libero nec physice, nec metaphysice necessarius est; adeoque nec physice, nec metaphysice certus esse potest; nec infallibili illatione inferri potest ex sola utcunque intime cognita auxilii indole ac intensione. Atqui, cum prædefinitio divina infallibilis meritorum bonorum ad dogma fidei pertineat (de DEO §§. 84. 86. 87. I.), ad efficaciam Gratiæ explicandam opus est ostendere nexum *infallibilem* ejusdem cum bono merito & consensu creaturæ. Itaque a quacunque caussa repetas illam necessitatem mere moralem, ex ea sola explicari Gratiæ absoluta efficacia evidenter non potest. 2.) Falsum quoque est, & experientiæ intimæ contrarium, quod semper, & inprimis, cum actus heroicos valde arduos exercemus, ex. gr. in venia inimicis danda, in conformanda voluntate nostra cum divinis permissionibus inter adversa gravia, morali necessitate sic urgeamur, ut difficilius multo nobis accideret imperfecte vel male agere, quam agere ex regulis perfectionis & virtutis. Imo Christus ipse testatur Matth. XI. 22. *regnum cælorum vim pati, & violentos rapere illud.* 3.) Vel talis Gratia moraliter necessitans necessaria est ad facultatem moralem completam liberam

be-

bene agendi? & tunc eadem destitutus carebit requisito necessario, ac proinde Gratia sufficiente ad bene agendum (258.): vel non est necessaria? & tunc creatura bene agere poterit etiam sine illa; ac proinde aliqua Gratia non moraliter prædeterminans poterit esse efficax. 4.) Denique necessitas a *Ludovico Habert* asserta, & ab aliis; non est tantum moralis; quamdiu ponitur non suppetere homini prudenti motivum cum momento proportionato ad eruendos sibimet oculos, vel ut nudus currat per plateas &c.: sine motivo enim quid agere humano modo absolute & metaphysice impossibile est (Eth. univ. christ. §. 53. I.); & in consensu appetituum, atque absente omni pugna motivorum, æque impossibile est agere quid oppositum illi, pro quo solo agendo motiva & stimuli omnes consentiunt (ibid. §. 510.). Porro talis necessitas, cujus oppositum metaphysice impossibile, non moralis, sed metaphysica necessitas foret, atque evidenter tolleret libertatem. Declarent ergo auctores isti, an pure *moralem*, an vero absolutam *physicam*, aut *metaphysicam*, *necessitatem nexus Gratiæ* talis *cum consensu bono* creaturæ adstruant; nec in nomine fallaciam ponant, dicentes forte necessitatem *moralem* præcise eam, quæ *mores*, id est, actus morales; afficiat. Imo actus humani *morales*, id est, meritorii, non jam erunt; si & ipsi perinde ac pari necessitate antecedente hypothetica ex auxilio Gratiæ consequantur, quæ evenire solent corporum motiones ex impulsu alterius mobilis incurrentis. *Ceterum* paritas cum necessitate peccandi veniali peccato difficultatem non solvit. Sicut enim moralis revera hæc necessitas solummodo est, ita nullus ex ea nexus cujuscunque individuæ occasionis leviter peccandi cum determinato peccato veniali, physice, aut metaphysice certus, seu necessarius, oritur (278. 279. not. 4.).

* Nisi itaque infallibilitatem nexus auxilii Gratiæ vere moraliter tantum necessitantis auctores isti repetant ab aliquo decreto voluntatis divinæ simpliciter efficaci, quo DEUS ob scientiam conditionatæ futuritionis consensus, a creatura rationali tali auxilio præstandi, decernat non solum dare tale auxilium, sed etiam eo mediante concurrere ad ipsum actualem consensum, & quidem ob scientiam non meræ possibilitatis (quæ æque de dissensu ac de consensu possibili datur, si necessitas vere tantum moralis sub tali auxilio libertatem relinquat), sed conditionatæ futuritionis prædicti consensus; nisi, inquam, a tali decreto & infallibili præscientia ejusmodi nexus auxilii cum consensu creato absolutam infallibilitatem repetant, istam explicare hujus systematis patroni plane non possunt.

299.

Novum *systema*, quod vocant *Augustinianum duarum delectationum*, hoc primum seculo introduxere Fratres duo ex Ordine Eremitarum S. Augustini, nimirum *Fulgentius Bellelli* primum Theologus Doctor, tum Magister & Prior Generalis Ordinis sui, & *Laurentius Berti* in Pisana Academia Historiæ Ecclesiasticæ Professor; quorum ille editis libris floruit inde ab anno 1711.; iste obiit primum an. 1766., Bellellianæ doctrinæ defensor acerrimus, & ipse dux numerosæ scholæ, ad quam non Augustiniani modo pœne omnes, sed plurimi quoque ex ipso Ordine S. Dominici, qui Prædeterminationes Bannesianas antehac tam fervide defenderant, se Romæ inprimis, & in Italia passim recipiunt. 1.) Auctores ambo isti pro *principio generali* sui *systematis* axioma illud, quod *amplius nos delectat, secundum id operemur necesse est*, una cum reliquis sex primis principiis Janseniani systematis supra §. 282. explicatis, sine ullo discrimine ac scrupulo *assumunt*, *duplicem* nempe *delectationem*, *cœle-*

stem

stem & terrenam, utramque indeliberatam, pro diverso relativo ad se invicem gradu *victricem*, suum semper effectum proportione habita obtinentem &c., ac proinde *Gratiam* definiunt esse *sanctæ dilectionis inspirationem, quæ a caritate actuali non differat.* Ita quidem Berti habet Lib. IV. c. 13. n. 3. & L. XIV. Instit. theol. c. 8. n. 7. & 8.: qui tamen, correctione hac saltem in parte admissa, in Apologia deinceps edita protestatur, se nomine *caritatis* bonam quamcunque voluntatem intelligere. Item Bellelli de statu creat. rat. L. II. c. 21. Incusat quidem P. Berti Jansenium; quod voluntatem bilanci compararit, quæ sine actione propria solum a ponderibus agatur & moveatur. At non ita desipuit Jansenius, ut *actionem* voluntati propterea negaret; sed solum *actionem voluntatis determinari* a delectatione victrici perinde dixit, atque motum bilancis a præpondio. 2.) *Negant* vero iidem auctores duo illa confectanea, quæ Jansenius ex his principiis cum omnibus affeclis suis intulit ceu fundamenta proxima quinque propositionum ab Ecclesia in Libro *Augustinus Jansenii* pro hæreticis damnatarum, nempe *primo quod* homini habenti tantum parvam Gratiam, id est, delectationem cœlestem gradu inferiorem delectatione terrestri, *idcirco desit Gratia vere, pure tamen, sufficiens; secundo negant* pariter, ex delectatione victrice *actum* consentaneum *sequi necessitate antecedente, tollente libertatem indifferentiæ*: atque hoc ipso negant ex eisdem principiis Jansenio secum communibus sequi quinque propositiones, ex. gr. quod justis aliqua præcepta impossibilia sint, quod interiori Gratiæ nunquam resistatur, quod non detur libertas indifferentiæ &c.: quas serio se damnare cum Ecclesia in libro Jansenii profitentur. 3.) *Rationes* negatæ utriusque sequelæ has afferunt; & *primo* quidem PRO defendenda in suo systemate GRATIA SUFFICIENTE: *Tametsi*, inquit Bellel-

 li

li (de modo reparat. T. I. L. IV. c. 1.), *Gratia quibusdam deſit, quæ dicitur actionis* (per ſe efficax) *nulli tamen urgente lege deeſt Gratia parva & excitans, quæ eſt Gratia vere ſufficiens. Orandi enim adjutorio, dum lex urget, nemo privatur. Qui autem orare poteſt, gratia profecto virtutis, poſſibilitatis, & poteſtatis præditus eſt.* Similia prorſus habet P. Berti de Theol. diſcipl. L. XVII. c. 3. n. 8. pag. 213. *Dicimus in eo, qui habet voluntatem parvam & invalidam, eſſe potentiam proxime ſufficientem ad orandum, & ſufficientem remote ad obſervantiam præceptorum; quæ poterit proxime implere, dum per orationem obtinuerit magnam & robuſtam voluntatem.* Interim idem Bertius ibid. L. XVIII. c. 8. n. 14. ſimul affirmate aſſerit, *nullum abſque Gratia per ſe efficaci* (id eſt, delectatione victrice cœleſti) *habere potentiam orandi conjunctam cum actu.* Præterea Bellelli (ibid. loc. cit.) utitur hac paritate; *Sunt oculi neceſſarii ad videndum; eſt neceſſarium lumen; neceſſaria inſuper eſt oculorum apertio. Oculi neceſſarii ſunt ut potentia, ſeu viſiva virtus: lumen eſt adjutorium virtutis: apertio vero oculorum tanquam conditio, quæ potentiam illuminatam ad videndi actionem applicat. Sicut ergo numeravimus tria neceſſaria ad videndum, oculos, lumen, oculorum aperitionem; ſic tria neceſſaria ad pie vivendum numeranda ſunt, libera poteſtas, adjutorium ſufficiens poteſtatis, adjutorium efficax applicativum poteſtatis ad actionem. Itaque ſi ob aliquam infirmitatem clauſæ ſint oculorum genæ; tunc homo oculorum plane integer, ſufficientique lumine præditus, videre non poteſt. Quis autem eum ſic dicat generali videndi impotentia laborare. Quemadmodum* porro *ex defectu ſolius aperitionis oculorum nullo jure generalis & indefinita ad videndum impotentia colligitur, nec vere dicitur, homo clauſis oculis indefinite videre non poteſt; ita ex ſolius adjutorii per ſe efficacis defectu generalis impotentia ad*

pie

pie operandum perperam infertur. Est autem oculorum hac similitudo ad rem nostram explicandam aptissima. P. Berti loc. cit. Lib. XVII. c. 3. n. 8. hac ipsa paritate *oculi* utitur, simulque distinguit *potentiam* in eam, *quæ est cum actu conjuncta*, & in eam, *quæ separatur ab actu*, aitque, *plura requiri ad actum ipsum, quam ad potentiam.* Porro docet: *Potentia separata ab actu alia est proxima, alia remota, alia remotissima. Proxima est, quæ ad operandum non eget nisi motione, qua determinetur ad actum; ut est potentia videndi in oculo sano, & clara luce perfuso, etiamsi clausus teneatur, aut aversus. Est autem potentia remota, quotiescunque expedite & immediate exerere actum non potest, aliquo remorante impedimento, ut oculus tenui luce illustratus, aut pes in via præcipiti & lubrica. Remotissima erit, si vix superfit facultas naturalis omni adjutamento expoliata, ut oculus in tenebris, pes cum podagra.... Potentia remota est in eo, qui habet voluntatem parvam. Proxima in illo, qui magnam habet & robustam, quæ etiam conjungitur cum actu . . . Itaque dicimus: in eo, qui habet voluntatem parvam & invalidam, esse potentiam proxime sufficientem ad orandum &c.;* tum pergit, ut supra citavi. Similia Bertius habet Lib. XIV. c. 8. n. 19. de Gratiæ sufficientis natura. Denique in eodem loco cit. n. 20. Bertius rotunde concedit, Gratiam parvam, quam ibi vocat *sufficientem, non dare posse proxime completum & expeditum,* sed solum *incompletum;* protestans simul per *potentiam proxime expeditam* se intelligere cum Thomistis illam, *quæ, ut ponat actum, Gratiam ulteriorem non postulat, qualem habuit Adam cum adjutorio sine quo.* Unde & n. 22. addit: *Ego sane mallem appellare Gratiam inefficacem*, pro sufficiente; *eo quod non inspiret voluntatem illam robustam, quæ inspiratur ab efficaci. Idcirco habui frequentius in consuetudine sermonis vocabulum istud, quam sufficientis.*

N 4 Et

Et n. 23. *itaque*, ait, *pro libitu Gratiam*, *quæ opponitur efficaci*, *dicito aut inefficacem*, *aut sufficientem*, *mea non refert.* Fatetur insuper his ipsis locis, Thomistas æque ac suæ opinionis asseclas differre a Medistis in *notione Gratiæ sufficientis*; eo quod Medistæ tantum eam vocent *sufficientem*, *quæ complectitur id totum*, *quod requiritur*, *ut ponatur actus*; quam notionem etiam probatam a Jansenianis fatetur ibidem n. 18.

Pro conservanda in hoc systemate libertate indifferentiæ Bellelli de modo repar. T. I. L. III. c. 6. adstruit, necessitatem, quæ ex delectatione quavis victrice oriatur, *non esse antecedentem*, *sed consequentem*; & *solius illationis*, *quæ a S. Thoma* 1. 2. quæst. 112. art. 3. *nuncupetur necessitas infallibilitatis*, *hoc est*, *certæ & infallibilis illationis*, *juxta doctrinam S. P. Augustini*; *quam tradit de Sanctorum prædestinatione*, *qua certissime liberantur*, *quicunque liberantur.* P. Berti itidem necessitatem talem infallibilis consecutionis actus ex delectatione victrice admittit, quæ salvam relinquat indifferentiæ libertatem (L. XIV. c. 8. n 18.); eo quod *per illam non proponatur nobis bonum sub omni* (id est, pura) *ratione boni*; *quemadmodum proponitur Beatis per lumen gloriæ*; *ideoque remanet indifferentia judicii*, & *vera libertas*, *quam habere nequeunt Beati.* *Quam ob rem sequitur quidem ex hac delectatione victrici infallibiliter effectus*; ... *sed sequitur libere*; *quia non adeo in hac vita delectat bonum aliquod*, *ut nequeat in eo apprehendi aliqua ratio mali.* Similia prorsus leges apud Bellellium loc. cit. cap. 5.

4.) *Uterque auctor* systema hoc suum tantum defendit obtinere pro statu naturæ lapsæ, & cum Jansenio *distinguit Gratiam status naturæ integræ*, quam *mere versatilem*, nec intrinsece aut per se effica-

ficacem fuisse asserit, *a Gratia status naturæ lapsæ*, quam tenet fuisse per se efficacem. Necessitatem talis Gratiæ per se efficacis ambo item cum Jansenio ex æquo repetunt ab infirmitate naturæ lapsæ, in qua concupiscentia nunquam non sua terrena delectatione, gradu superiore, rationali voluntati prædominetur, & hominem *ineluctabili pondere in peccatum trahat; nisi DEUS per merita Unigeniti Filii sui talem Gratiam concedat, quæ fortius & indeclinabiliter & insuperabiliter voluntates de malo in bonum ducat.* Ita Bellelli de statu creat. rat. ante peccatum. L. II. cap. 32.: quod opus typis manditum est Lucernæ an. 1711. Paria prorsus leges apud Berti de Theol. discipl. L. XIV. c. 9. n. 24. & aliis locis ibidem citatis. Pariter uterque auctor iste hoc Gratiæ diversi status discrimen præcipue probat ex illa divisione *auxilii quo*, & *sine quo non*, a S. Augustino in L. de corrept. & Gratia cap. 12. asserta. Fatetur denique Berti L. IV. Theol. discipl. c. 13. n. 6. delectatione victrici *physice* prædeterminari actum, non mere moraliter. Vide dicta a me §. 256.

300.

Systema hoc duarum delectationum indeliberatarum, a FFr. PP. Bellelli & Berti assertum, novum est inter catholicos Theologos. Neque enim Thomistæ, neque Augustiniani, neque Medistæ, seu Scientiæ mediæ defensores, qui pro catholicis semper habiti sunt, ante hujus seculi initium in scholis unquam ea universa sex Jansenii principia tenuere, quæ §. 282. ordine prima enumeravi, & quæ in hoc novo systemate adstruuntur. Etsi enim multi ex Augustinianis, imo & ex aliis diversi ordinis Doctoribus catholicis, Gratiam in sanctæ dilectionis, seu bonæ voluntatis, inspiratione reposuerint, quorum plures Berti citat L. IV. c. 13. n. 6.: tamen nullus illorum

ostendi potest, qui Gratiam efficacem cum Jansenio ante seculum præsens præcise reposuerit in delectatione cœlesti *indeliberata* gradu *relative superiore*, & prævalente delectationi cœlesti; sed omnes vel eam reposuere in delectatione absolute victrice, & moraliter prædeterminante, vel in delectatione victrice deliberata; multo minus quis eorum admisit, etiam concupiscentiam seu delectationem terrenam prædominantem infallibiliter & invincibiliter determinare ad malum. De *Thomistis* quidem id pridem ostendit doctissimus vir Hyacinthus Amat de Graveson Epist. Lib. II. epist. 6. pag. 221. & 242. De *Augustinianis* ut plurimum fatetur ipse Bertius Lib. XIV. c. 8. n. 9. *Denique* a tempore, quo Ecclesia Jansenii quinque propositiones ut hæreticas damnavit, nullus Theologorum catholicorum ad præsentis seculi initium usque fuit, qui male & inconsequenter eas a Jansenio ex illis sex principiis §. 282., & inprimis ex generali axiomate de victrice delectatione superiore indeliberata, omnes operationes humanas determinante, illatas fuisse dictitaret; sed potius omnes quinque illas Jansenii propositiones reipsa consequi ex his principiis, atque idcirco ipsa illa principia cum generali inprimis axiomate de delectatione *indeliberata superiore* sibi simul refutanda esse censuere, ut Jansenii quinque propositiones solide confutarent.

301.

In systemate FFr. PP. Bellelli & Berti reipsa non admittitur Gratia vere & relative sufficiens, qualem admitti debere ante præsens seculum omnes probe catholici Theologi consensere. **Ipsimet enim duo scriptores illi conceptis verbis docent, in eo, qui tantum habet *Gratiam parvam* seu *voluntatem parvam, & invalidam, non inesse potentiam proximam, sed solum***

lum remotam, qua quis expedite & immediate exerere actum non potest, aliquo remanente impedimento, & cui adhuc deest aliquid necessarium ad pie vivendum & operandum. Hæc sunt verba concepta Bellellii, & Bertii, §. 299. n. 3. a me excerpta ex scriptis illorum. Nec vero secundum ambos hos Doctores illud, quod ad pie operandum adhuc ultra potentiam remotam necessarium est, in potestate hominis reponitur, ut recuperetur. Nam etsi addant, *in eo, qui habet voluntatem parvam & invalidam, esse potentiam proxime sufficientem ad orandum; foreque, ut etiam proxime possit præcepta implere, dum per orationem obtinuerit magnam & robustam voluntatem* (loc. cit.): tamen, cum nec orare possint actu, seu potentia proxime sufficiente, *nisi habeant Gratiam per se efficacem* (Berti L. XVIII. c. 8. n. 14.), id est, nisi habeant voluntatem magnam & robustam, seu delectationem victricem indeliberatam, trahentem *ad orandum;* quæro, an justi saltem istam orandi Gratiam per se efficacem semper habeant, quoties præceptum aliquod actu urget; an non? *Si primum?* Ergo vi istius systematis semper orabunt, & sic semper obtinebunt orando Gratiam per se efficacem, ac proxime sufficientem, conjunctamque cum actu observantiæ præcepti, id est, delectationem cœlestem victricem, secundum quam operari necesse erit, observando præceptum. *Si alterum?* Ergo evidens est, per ipsa Bellellii & Bertii principia nec habituros illos Gratiam proxime sufficientem ad orandum, nec ullo modo vere relative sufficientem ad observandum præceptum. Atqui justi etiam sæpe non observant præcepta actu urgentia. Ergo etiam justi sæpe non habent Gratiam per se efficacem ad orandum tunc, cum urget DEI præceptum, nec proin Gratiam vere ac relative sufficientem ad observandum præceptum DEI actu urgens & obligans. 2.) Auctores isti

con-

conceptis verbis docent, *ficut ad videndum præter oculum & lumen requiritur poteſtas aperiendi genas oculorum; & ſicut, ſi ob aliquam infirmitatem clauſæ ſint oculorum genæ, homo oculorum plane integer, ſufficientique lumine præditus, videre non poteſt*; ita ſine adjutorio efficaci, etſi facultas voluntatis, & Gratia parva adſit, illuſtrans, & inſpirans voluntatem bonam, neminem bene agere poſſe; idque ob prædominantem delectationem terreſtrem, quæ ſe inſtar infirmitatis, aperitionem genarum impedientis, habeat; item ſicut præſente tali infirmitate, aperitionem genarum impediente, non datur *generalis & indefinita impotentia videndi*; ita ex defectu adjutorii efficacis, ac præſentia delectationis victricis terrenæ, ceu infirmitatis animæ, non ſequi *generalem & indefinitam impotentiam bene agendi.* Atqui, licet in hypotheſi præſentis infirmitatis oculorum, impedientis in plena luce meridiana aperitionem genarum, non detur *impotentia generalis, indefinita*, & abſoluta videndi pro quavis alia hypotheſi, & alio tempore; evidenter tamen datur *impotentia videndi particularis,* relativa ad præſentem oculorum infirmitatem, & tempus præſens, ita, ut, ſi tunc obligaret actu aliquod DEI præceptum ad oculos cujuscunque finis præcepti cauſſa applicandos ad actualem viſionem, vere deeſſet libertas phyſica, & potentia relativa ſufficiens, uti ad videndum, ſic ad implendum DEI præceptum. Ergo parem in modum, licet in hypotheſi præſentis delectationis victricis terrenæ, conjunctæ cum parva Gratia, non detur *generalis,* abſoluta, & *indefinita impotentia bene agendi,* & obſervandi divinum præceptum, evidenter tamen dabitur *impotentia bene agendi*, & obſervandi præceptum nunc actu obligans, *particularis,* relativa ad præſentem delectationem terrenam victricem ceu animæ infirmitatem, & bonæ actionis impedimentum, ad præſens tem-

tempus, & ad DEI præceptum in præſenti actu obligans.

Jam vero Janſenius ipſe utique admiſit cum Gratia parva, & cum ipſa impotentia relativa bene operandi in defectu Gratiæ victricis, conjungi potentiam abſolutam bene operandi, nempe ſub alia relatione graduum utriusque oppoſitæ delectationis; ſive ſi minor eſſet gradus delectationis terrenæ, manente licet eodem gradu delectationis cœleſtis; idque cum Janſenio admiſere primores ex Janſeniſtis, in celebri *ſcripto Trium Columnarum* exponentes primam Janſenii propoſitionem ſic, ut dicerent, *juſtis impoſſibilia duntaxat eſſe præcepta proxime, immediate, directe, complete, ſeu ea impotentia, quæ non habet, quidquid requiritur ad actum ponendum; propter abſentiam Gratiæ efficacis;* & admittentes ſimul *potentiam abſolutam ſufficientiſſimam, perfectiſſimam, completiſſimam, & expeditiſſimam, uti eam vocant*: denique nec Janſenius, nec ejus aſſeclæ, unquam *inflexibilem*, id eſt, generalem, & indefinitam impotentiam bene agendi, aut neceſſitatem male agendi in concurſu Gratiæ parvæ aſſeruere; de quo vide in Libro *Auguſtinus* L. III. c. 15., item in Pauli Irenæi Diſq. II. art. 2., apud Tournely citato §. de Gratia Chriſti quæſt. 3. de prima Propoſit. Janſen. edit. Veneta an. 1736. pag. 250. Catholici Doctores omnes ex adverſo usque ad præſens ſeculum potentiam vere, & relative, ac proxime ſufficientem ad obſervanda DEI mandata, in juſtis omnibus admittendam eſſe docuere. Licet enim Banneſiani ultra illam ad actum ipſum DEI prædeterminationem requirant; iſtam tamen referunt ad ipſum DEI concurſum in actu ſecundo; & ſine eo ſemper dixere potentiam liberam in ratione creatæ potentiæ jam eſſe vi ſolius illius illuſtrationis & inſpirationis divinæ proxime

xime completam in actu primo. Itaque in systemate &c. *adde*: Secundum P. Berti L. XIV. c. 8. n. 28. Adam per solam Gratiam versatilem, seu auxilium, quod S. Augustinus appellat *sine quo non*, habuit potentiam proxime expeditam ad bene operandum. Atqui secundum Augustinum, quisquis non habet tale auxilium sine quo, seu potentiam proxime expeditam, *sine culpa cadit* (L. de corrept. c. 11.). Ergo etiam cum sola Gratia parva quis sine sua culpa cadit; quia & ista non dat potentiam proxime expeditam, nec adeo constituit auxilium sine quo non.

302.

In eodem systemate reipsa non admittitur vera libertas indifferentiæ, seu immunitas actus ab omni vera necessitate antecedente in existendo. Nam 1.) secundum ipsos auctores præfatos ex delectatione victrice, cœlesti, vel terrena, actus sequitur ei conformis necessitate infallibili, seu *necessitate infallibilitatis* (§. 299. nro 3. sub finem), ita quidem, ut *infallibilitas necessitatis* hujus non utique præcise sit determinatio sufficientissima scientiæ, seu cognitionis, ad veritatem logicam in repræsentando objecto (revera enim *infallibilitas* solius *intellectus*, vel *cognitionis*, proprietas est, non *objecti* cogniti, sicuti certitudo, & evidentia, per Log. §. 304. not.); prout scientiæ mediæ defensores, etiam ex Gratia versatili consecuturum effectum a DEO infallibili scientia prævideri, docent; sed ut sit ipsa determinatio objectiva existentiæ actus per delectationem victricem, & ratio quædam intelligibilis sufficientissima, qua visa, seu concepta ex parte actus primi proximi, ceu ex ratione vere sufficientissima existentiæ actus secundi, plenissime & evidenter colligitur secutura ipsa existentia actus secundi.

Ipsam

Ipſam enim delectationem indeliberatam gradu ſuperiorem auctores iſti conſtanter pro ratione ſufficiente adſtruunt; ex qua ſemper a parte rei (etiam abſente omni illius cognitione infallibili, vel independenter utique ſaltem ab hac) ſequatur actus. Certe iſta objecti infallibilitas, ſeu infallibilitas nexus objectivi inter delectationem ſuperiorem & actum huic conformem, *non proprie infallibilitas* (quæ non niſi cognitioni ineſt) *ſed* vere ac *proprie neceſſitas objectiva eſt.* 2.) Auctores iſti communiter in Tractatu de DEO docent, nexum iſtum delectationis ſuperioris indeliberatæ cum actu libero ſibi conſentaneo a DEO prævideri per ſcientiam ſimplicis intelligentiæ, ſeu meræ poſſibilitatis & eſſentiæ objecti. Ergo in ipſa eſſentia delectationis ſuperioris objectiva ratio ſufficiens exiſtentiæ actus ſecundi liberi ſibi conſentanei ineſſe debet; quia *ratio* omnis *ſufficiens* non eſt niſi id, quo primum cognito & intellecto cognoſcitur hoc ipſo alterum ceu rationatum (Ontol. §§. 5. 7.). Atqui rationes ſufficientes ipſis rerum quarumlibet eſſentiis inſitæ immutabiles ſunt, & ex eis rationata, quæ ſingulis reſpondent, illis ſemel poſitis immutabili & antecedente neceſſitate reſpondent (Log. §. 95. I. §. 97. I. §. 105.). Ergo vi hujus ſyſtematis neceſſitate objectiva antecedente ex delectatione victrice qualibet indeliberata actus deliberatus conſentaneus conſequitur. *Adde*: per ſcientiam ſimplicis intelligentiæ non niſi objecta neceſſaria, aut effectus rerum neceſſitate antecedente neceſſarios, a DEO videri. 3.) Secundum eosdem auctores pari neceſſitate ex victrice delectatione indeliberata terreſtri, præſente ſolum Gratia parva, actus malus deliberatus conſequitur; quali & quanta neceſſitate in oculo, præſente infirmitate genæ aperitionem impediente, ſole licet meridiano lucente, omittitur viſio (299. nro 3.). Atqui neceſſitas iſta

ſecun-

secundum omnes, & evidenter, physica antecedens necessitas est. Ergo præsente delectatione superiore terrestri & Gratia parva actus malus sequitur necessitate physica antecedente: & cum pari necessitate ex cœlesti victrice delectatione sequatur bonus, qua ex victrice terrena sequitur malus actus deliberatus, secundum hos auctores; etiam actus bonus necessitate antecedente sequetur ex delectatione cœlesti victrice. 4.) Secundum dictos auctores solum admittitur libertas antecedens, quæ præcise consistat in tali indifferentia judicii, ut per istud *bonum non proponatur sub omni ratione boni,* sed simul *in eo apprehendatur aliqua ratio mali* (299. nro 3. sub finem). Atqui talis solummodo libertas stare potest cum vera necessitate antecedente actus secundi inde consequentis, ac proinde vera libertas a necessitate non est, qualem Ecclesia ad merendum & demerendum in hoc præsente statu pro dogmate asserit. Namque etsi judicium intellectus eo sensu indifferens sit, ut objectum nec ut pure bonum, & appetendum, nec ut pure malum & aversandum, proponat: tamen non est indifferens relate ad actum secundum deliberatum, posito, quod plus boni quam mali in objecto repræsentando magis delectet, quam tædio absterreat, simulque posito (ut in hoc systemate ponitur), quod magis delectando sic determinet actum secundum delectationi superiori antecedenti consentaneum, ut potentiam proxime sufficientem illum omittendi non relinquat (§. præced.): hoc enim posito judicium plus boni quam mali in objecto proponens a priori utique determinat potius appetitionem quam aversationem, ita quidem, ut appetitio ex eo infallibiliter consequatur. Ergo judicium ad hunc actum secundum non est indifferens: secus eum præ opposito non determinaret: sed potius necessitate antecedente hunc deter-

determinat. 5.) Denique etsi absit necessitas, quæ oritur ex objecto; non inde sequitur non manere necessitatem, quæ proveniat ex delectatione superiore. Et vero necessitas in Beatis orta ex parte objecti, id est, puri boni pura cum delectatione cogniti, secundum ipsum P. Berti antecedens est, & tollit libertatem indifferentiæ (Berti Lib. IV. c. 13. n. 5.). Ergo etiam necessitas orta ex delectatione superiore antecedens est, & tollit libertatem. Certe tam infallibiliter secundum ipsum ex delectatione superiore indeliberata sequitur actus deliberatus huic consentaneus etiam in concursu delectationis oppositæ inferioris; quam infallibiliter in Beatis ex intuitu puri boni, & sola pura delectatione in eodem indeliberata, sequitur amor DEI. Verbo: delectatio superior indeliberata est ratio a priori sufficiens, cur sequatur iste actus deliberatus, & cur sequatur præ altero opposito: ergo ex ea actus iste deliberatus sequitur necessitate antecedente (Ontol. 105.), ac proin sine libertate a necessitate antecedente. Errat vero P. Berti evidenter; cum essentialia libertatis unice constituit in motivis contrariis, id est, in duplici apprehensione contraria boni & mali in objecto, & non item in absentia omnis necessitatis (Eth. univ. christ. §. 513.). Certe idem fatetur L. IV. c. 13. n. 2. sub finem, difficulter capi posse, quo pacto cum prædeterminatione physica stet libertas, si ea per essentiam dicatur connexa cum actu: & tamen prædeterminatio illa nullo pacto tollit eam indifferentiam judicii, quam Berti pro libertatis unico fundamento adstruit.

* Approbat quidem P. Berti loc. cit. distinctionem *sensus compositi & divisi*, item *necessitatis consequentis & necessitatis consequentiæ*, ac dicit, eam delectationis victricis indeliberatæ hypothesi applicari perinde posse, atque a Me-

dictis scientiæ mediæ applicatur. *Ast* evidens est disparitas. Nam cum scientia DEI de conditionata futuritione actus nullo pacto sit ratio natura prior existentiæ seu auxilii Gratiæ indifferentis, seu ipsius actus; nihil est ex parte actus primi, quod a priori sit ratio existentiæ actus sufficiens, qua posita eo ipso a priori intelligatur determinari actus, & insuper scientia ipsa media impediri æque a libertate potest, ne unquam extiterit, sicuti ipse actus liber. Ex adverso delectatio victrix a priori est ratio sufficiens existentiæ actus sibi consentanei, nec impediri ullo pacto ab homine potest, ceu indeliberata. Unde scientia media datur ex hypothesi futuri actus liberi sub certo auxilio Gratiæ; at delectatio non ex ista hypothesi datur, sed vi solius decreti divini non impedibilis a libertate. Compositio ergo, id est, simultanea existentia, scientiæ mediæ & actus impediri libere potest; non item simultanea existentia delectationis victricis & actus illi consentanei.

* * Hæc duo asserta, quæ duobus hisce §§is præcedentibus ostendi (etsi ambo scriptores illis ut boni Catholici utique sincere pluribus locis contradicant), tam manifesto tamen consequi ex systemate FFr. Bellelli & Berti visa sunt Illustrissimo ac Reverendissimo DD. Joanni Archiepiscopo & Comiti Viennensi, Galliæ Primati, ut adnotationes super operibus Doctorum illorum integro in libello collectas, quem *Jansenismum redivivum* inscripsit, una cum Epistola ad summum Pontificem sub initium anni 1745. Romam miserit; qui responso dato promisit, se Theologis doctissimis, & nulli parti addictis, rem examinandam traditurum. Rei eventum ipse Reverendissimus Archiepiscopus Viennensis in Præfatione Documenti Pastoralis, quod an. 1750. Viennæ in Galliæ typis edidit, hisce verbis refert. „ *Assiduæ, quibus* (summus Pontifex) *distinetur, occupationes alio ejus animum fortasse evocarunt, nobisque, quid in eo examine factum esset, rescire cupientibus, perlatum*

fuit,

fuit, P. Berti, cui summus Pontifex nostras lucubrationes tradendas censuerat, tam suorum errorum, quam sodalis sui P. Bellelli, qui ab aliquot jam annis extremum diem obiit, Apologiam impressisse. Si eandem, quam nos, inire viam P. Berti libuisset; si ad nos suam Apologiam, ut factum a nobis est, perferendam curasset, res peragi silentio & quiete potuisset. Quod cum ille noluerit; eo æquiore jure de ipso conqueri possumus; quod nos pro ea, quam summo Pontifici profitemur, observantia, opus nostrum pluribus expetentibus tradere noluerimus. Hæc vero Apologia, licet ab anno 1747. *typis mandata fuerit, paucis tamen abhinc mensibus ad nos tantummodo perlata est; propterea quod ea vulgata nondum fuisset; uti postmodum factum est.* " Lecta ista Apologia, & pluribus jam exemplis ejusdem per Gallias vulgatis, permotum se Reverendissimus Archiepiscopus dicit, ut Documentum hoc Pastorale ederet; in cujus decursu præter alia eo collimat, ut ostendat, *utrumque* prædictum *auctorem Jansenii errores tradidisse, duarum delectationum indeliberatarum, quoque graduum superioritate invincibilium famoso principio innixos;* ita quidem, ut ostendere contendat, ex eorum principiis quinque propositiones in Jansenii libro *Augustinus* ab Ecclesia damnatas aperte consequi. Et cum P. Berti in sua Apologia pag. 388 contenderet, neque se, nec sodalem suum Jansenismi accusari posse sine legis ab Innocentio XII. latæ violatione, qua cavetur, *ne quis traducatur invidioso Jansenismi nomine; nisi prius legitime constiterit, aliquam ex quinque propositionibus docuisse & tenuisse;* uti habet Decretum die 6. Junii anno 1694. editum: reposuit in Documento Pastorali Revdmus Archiepiscopus Viennensis, *quos Papa traduci vetat, non esse eos, qui doctrinam in quinque propositionibus damnatam docuerunt.* Porro *si iis tantum Jansenismi nota inuri posset, qui conceptissimis verbis aliquam ex quinque damnatis propositionem tradidere, neminem unum unquam, ne Quesnellum quidem, accusandum fore, aut fuisse; cum nemo sit, qui eas nisi immutatis subdole verbis defendat; indeque factum iri, ut er-*

rorem insectari, illique occurrere nemo posset; certe *in toto* Quesnelli *libro non esse propositionem, quæ eisdem verbis propositiones ab Innocentio X. damnatas referat: contra PP. Bellelli & Berti non doctrinam modo in quinque propositionibus contentam propugnasse, sed duarum delectationum principium, unde illæ profluunt, amplexos esse.*

* * * Enimvero censura hæc Revdmi Archiepiscopi Viennensis rigida sic est, ut non possit esse magis. Unde meam ego minime facio, sed moderatissimi Tournelyi exemplum sequi malo, qui, licet in Tract. de Gratia quæst. 6. inter opiniones scholarum hanc Bellellii & Bertii doctrinam sub nomine tacito *recentiorum* quorumdam (in Edit. Veneta an. 1736. pag. 482.) quarto loco referens, graphice fateatur, *ignorare se, qua ex parte distet hac Gratia sufficiens* (quam illi admittunt) *ab ea, quam Jansenius parvam appellat; cum ex utraque parte idem sit principium, unde illa defluit, delectatio scilicet relative superior & victrix;* id quod etiam ulterius instituta comparatione urget. Nihilominus ibid. quæst. 9. art. 2. in object. 7. quæstionem proponens, *an systema delectationis superioris seu relative victricis tuto & innocue defendi possit; modo, qui apud Jansenium inde consequuntur, quinque propositionum errores rejiciantur, & damnentur*: respondet 1.: *si bona fide & animo catholico consectaria illa negentur, ab errore absolvi eos saltem posse, qui admisso principio consecutiones negant: at non propterea ipsum absolvi principium, quod erroneum est, ac idem semper remanet.* Pariter nos R. Fr. P. Berti, ceu bona fide negantem, quinque propositiones Jansenii, earumque ex suis principiis consecutionem, nullo pacto *notamus*; sed solum *refutamus* doctrinam: eoque amplius quod doctissimus ille scriptor in Apol. pag. 304. ipse *oret Redemtorem suum & Judicem universorum, ut, si fraude aliqua* in sua doctrina proponenda *usus fuerit*, ipse *mortis ejus beneficia minime consequatur.* Addit tamen loc. cit.

Tour-

Tournelyus, Janfenianos omnes, verborum fallaciis femper tegere folitos errorem fuum, etiam alios, innoxie fors errantes, facere fufpectos: *Janfenium quinque propofitiones fuas ex principio delectationis fuperioris neceffaria confecutione* deduci exiftimaffe, & *Ecclefiam* videri *hanc intimam connexionem quinque propofitionum cum principio delectationis fuperioris agnoviffe; cum illas quinque propofitiones damnavit in fenfu proprio Janfenii: neque enim alium affignari poffe illarum fenfum, quam qui ex delectatione fuperiori oritur, & cum ea connectitur;* & *quoscunque alios fenfus difcipuli Janfenii affignare voluerint, non nifi vanum erroris phantasma, a mente Janfenii prorfus abhorrens, exhibuiffe: libros* denique *multos Janfenianorum, puta Arnaldi, Pauli Irenai, Wendrochii, Expofitionem fidei catholicæ, fpeculum pietatis &c., in quibus ea ipfa confectaria delectationis fuperioris negentur, tamen profcriptos fuiffe, non alia certe de cauffa, quam quod fyftema delectationis Janfenianæ contineant; quo retento, confectaria illa non nifi ad fraudem ac verbo tenus negentur.* Negat denique Tournelyus ultimo loco ejus Tractatus, *fufficere, modo non afferatur, delectationem fuperiorem neceffitatem inducere, ac tollere veram ad oppofitum potentiam, ad hoc, ut innoxium hoc fyftema exiftimari poffit; fi id verbo folum tenus fiat, non reipfa: fecus enim nullum fore Janfenianum, qui excufari non poffet,* probat ex principum Janfeniftarum textibus allegatis, imo ex ipfo Janfenio; ficque haud dubie (quod editis libris hodiedum quidam in publico afferere non dubitarunt) *in fumos abiturum totum errorem Janfenii, omnesque circa ipfum Ecclefiæ definitiones velut illuforias & inanes exfufflandas fore.* His adde dicta in Tract. de DEO §. 45. in adnotat. præfertim not. 7.

303.

Discrimen Gratiæ versatilis, & per se efficacis ope delectationis victricis cœlestis, a FFr. PP. Bellelli & Berti assertum in statu naturæ integræ & lapsæ, idemque Jansenio commune, solido caret fundamento; 2.) *maleque cum ipso reliquo systemate hoc cohæret.* Namque, *quod ad primum attinet,* probatur id unice ex cap. X. XI. XII. Libri S. Augustini de correptione & Gratia. Atqui nec satis constat, utrum istud discrimen Gratiæ efficacis pro diverso statu naturæ ibi asserere propositum habuerit Augustinus; & si asséruisset, solitarius in ista assertione foret inter omnes SS. Patres; nec aliquo S. Scripturæ, nec Traditionis testimonio munitus, doctrinam proposuisset, qua *etiam omissa* (ut loquitur Claudius Fleuri ad an. 426. Lib. XXIV. §. 47.) *ea, quæ concordiam correctionis & Gratiæ tangunt, optime possint intelligi;* & *quæ, ut explicaretur, & cum aliis principiis in S. Doctoris operibus positis conciliaretur, longa opus esset dissertatione.* (291. not.). Posterius hoc diffiteri tamdiu nullus adversariorum poterit, quamdiu nullum ex SS. Patribus ostendent, qui præcesserit, vel secutus in hac doctrina S. Augustinum fuerit. *Prius* sic porro evinco. S. Doctor cap. X. cit. lib. proponit quæstionem: *quo pacto peccaverit Adam* (ac proinde corripi possit), *si non acceperit perseverantiæ in bono gratiam?* Indirecte simul quærit; *cur non acceperit Adam* donum hoc; qui nondum tunc peccato aliquo perditionis massa involutus erat, nec proin eo dono ob peccatum quodcunque prævium privari potuit? Hanc *posteriorem quæstionem* mox præ illa priore solvens S. Doctor, respondet: DEUM, *etsi præsciret, mala ex bonis, quæ ipse fecisset, oritura,* id est, Adamum non perseveraturum, tamen judicasse, *magis ad omnipotentissimam suam bonitatem pertinere, etiam de*

malis

malis bene facere, quam mala esse non finere; & idcirco *sic ordinasse Angelorum & hominum vitam, ut in ea prius ostenderet, quid posset eorum liberum arbitrium; deinde quid posset suæ Gratiæ beneficium justitiæque judicium.* Enimvero his verbis S. Augustinus aliud (etsi obscure non nihil) velle dicere non videtur, quam quod ego ipse dixi in Demonstr. Evang. §. 13. rationem redditurus, cur DEUS felicem illum statum, perbrevi intervallo duraturum, prævisa licet Adami inconstantia, & futura culpa, præmittere voluerit: videlicet ut veluti præsente experimento Adami & rebellium Angelorum doceret, non melius usuros fuisse homines ampla status illius libertate & felicitate ad salutem, si illam DEUS perdurare etiam in posteris voluisset, quam in statu præsente utantur libertate infirma, & non nisi per medicinalem Gratiam sufficienter adjuta: ac proin DEUS ostendit, quid possit libertas ad frustrandam etiam lætissimam gratiam: nunc vero ostendit, quid possit Gratia etiam in summa infirmitate naturæ. Vide etiam dicta in Tract. præced. III. §. 217. not. 1. Unde addit continue S. Doctor: *Denique Angelos quosdam in tam splendido statu libertatis tamen refugas a DEO factos esse,* qui tamen *ejus judicium effugere non potuerint: ceteros autem per ipsum liberum arbitrium,* id est, per ipsam libertatem robustam illius status, quæ ex Gratiæ auxilio, revera longe majorem bene agendi facilitatem suppeditante, oriebatur, *in veritate stetisse*: quibus verbis non excludit Gratiam efficacem. Unde ex his solis verbis non nisi summa incertitudine, & obscure admodum infertur, a S. Doctore assertum fuisse, DEUM non æque gratuita, & infallibili, efficacique prædefinitione bonorum Angelorum merita ac perseverantiam prædefiniisse, atque prædefinierit eadem in hominibus electis in statu naturæ

 lapsæ.

lapsæ. Et tamen in hisce verbis huc usque allegatis præcipua & fere unica vis est argumenti adversariorum. Quæ enim deinceps affert loc. cit. S. Augustinus, profecto aliud enuntiare non probantur, quam quod DEUS Adamo solum dederit Gratiæ sufficientis *auxilium*, *sine quo non* habuisset potentiam perseverandi, idemque multo minus potens Gratiæ medicinalis auxilio sufficiente; quod largitur nunc hominibus lapsis: non vero item Adamo largitus fuerit Gratiæ efficacis *auxilium, quo* actu perseveraret; quod tamen nunc largiatur electis in statu naturæ lapsæ. Ubi jam in toto decursu capitis XI. & XII. non amplius *homines* contentos in statu naturæ lapsæ, etiam *electos*, comparat *cum Angelis bonis*; neque usquam negat, istos perseverasse ope *auxilii quo*: nec ait, Adamum, ut perseveraret, non indiguisse *adjutorio quo*: sed solum Gratiam *Adami* mere sufficientem sub nomine *auxilii sine quo non* comparat cum Gratia efficace *electorum hominum* in statu naturæ lapsæ; & duplex inter utramque discrimen assignat, nimirum quod ista posterior electis dari solita potentior sit; eo quod vires ad concupiscentiam superandam sufficientes det; deinde quod ad hoc det non solum *posse*, sed etiam *velle*; quod non dederat Adamo *auxilium sine quo non*. Enimvero plus ab Augustino citatis in capitibus libri de correptione & Gratia afferi, nemo mihi probarit. Unde denique cap. XII. dicta omnia breviter comprehendens Augustinus, hoc solum dicit: *DEUS Sanctis suis non solum dat adjutorium, quale primo homini dedit, sine quo non possint perseverare, si velint; sed in eis etiam operatur & velle, ut . . . perseverandi eis possibilitas & voluntas divinæ Gratiæ largitate donetur.* Id quod totum ultro omnes admittimus.

Jam

Jam *ad alterum caput* assertum quod spectat; quæro: an axioma hoc, *quod magis delectat, secundum id operemur necesse est*, generale est, an non? *Si non est*: cur valet pro statu naturæ lapsæ, & non item pro statu naturæ integræ? *Si est generale*: an in statu naturæ integræ in omnibus Angelis, & in Adamo & Eva, delectatio cœlestis nunquam minor, vel major, fuit terrestri, sed semper æqualis? an vero aliquando fuere ambæ delectationes inæquales? *Si in statu integræ naturæ semper fuere æquales ambæ delectationes*; & tamen determinare se ipsam libertas ad unum præ altero potuit; cur non sufficiat ad actum salutarem reipsa ponendum etiam in statu naturæ lapsæ delectatio cœlestis gradu relative æqualis delectationi terrestri ex concupiscentia ortæ ad hoc, ut stante ejus naturæ infirmitate DEO concurrente libertas se ipsam determinare ad bonum possit? Aut ubi demum in SS. Literis aut SS. Patribus, atque in ipso S. Augustino expressum legimus, delectationem sanctam ac cœlestem indeliberatam semper esse gradu majorem terrestri; quoties DEUS efficaci Gratia reipsa movet ad bonam voluntatem concipiendam? Ne, quæso, pro argumento illud exoletum afferas, non posse sine tali excessu sanctæ delectationis Gratiæ divinæ ac prædefinitionis meritorum efficaciam explicari: nisi enim veram antecedentem necessitatem a delectatione majore universe inferri adstruas, non magis per eam, quam sine ea, DEI Gratia fiet absolute efficax; sicut de delectatione moraliter solum necessitante ostensum est §. 298. Denique in statu naturæ integræ universe æqualitatem utriusque delectationis supponere, quid nisi sumere aliquid sine ratione sufficiente, imo fingere hoc est? maxime quod in illo statu, absente omni concupiscentiæ rebellione, verisimilius longe sit,

delectationem cœlestem terrestri passim prævaluisse. *Si vero inæquales etiam passim in statu naturæ integræ fuere ambæ delectationes, cœlestis & terrestris:* ergó etiam tunc pari modo delectatio victrix cœlestis fuit Gratia per se efficax, pari infallibilitatis necessitate post se trahens actum. 2.) An DEUS prædefiniit gratuito actus salutares bonorum Angelorum, vel non prædefiniit? *Si gratuito prædefiniit:* ergo præscius præscientia conditionata, non mere scientia possibilitatis, quid essent acturi sub conditione determinati auxilii Gratiæ (non solum quid possent agere) sciens & volens tale auxilium dare decrevit, antequam haberet scientiam visionis absolutæ de futuro tali actu salutari: ac proin gratuito hunc voluntate intrinsece efficaci prædefiniit: quæ benevola voluntas cum rationem Gratiæ intrinsece constituat (243.), Gratiam efficit intrinsece efficacem etiam in statu integræ naturæ (289. VI.). *Si non prædefiniit gratuito:* an ideo, quia ante scientiam absolutæ visionis non præscivit futuros sub conditione talis auxilii concessi? an, etsi præsciret hoc, tamen non prædefiniit ante illam scientiam absolutæ visionis, quia non voluit? an denique quia non potuit? *Non primum*; quia secus scientia vera in se intrinsece possibili & pura perfectione caruisset; imo nec post decretum dandi tale auxilium prævidere scientia absolutæ visionis posset; nec denique Adæ peccatum sciens & voluntarie permisisset (de DEO §. 45. not. 3. & 5.): *non secundum*; quia sic merita illa futura absoluta evasissent sine prævio DEI decreto eorum existentiam decernente; quod secundum ipsos adversarios absurdum est: *non tertium*; quia evidenter velle futurum absolute potuit, quod sub conditione jam futurum prævidebat, quæ ab ipsius solo arbitrio pendebat.

304.

Sufficit itaque æque ad omnia fidei dogmata explicanda, atque ad S. Augustini mentem de natura Gratiæ efficacis assequendam, asserere Gratiam voluntatis divinæ intrinsece efficacis (289. V. VI. 243.); *quæ tamen effectum sortiatur per auxilia illustrationum ac inspirationum nulla prorsus necessitate antecedente per se connexarum cum actu salutari; eo solum discrimine, quod in statu naturæ integræ opus non fuerit Gratia medicinali* (255. VI.); *qua tamen opus sit in statu naturæ lapsæ. Dogmata fidei* omnia probe per talem Gratiæ efficacis conceptum explicari patet ex dictis §§. 290. 291. Voluntate enim speciatim benevola & intrinseca conferens DEUS electis auxilia Gratiæ, quæ citra omnem illatam necessitatem antecedentem scientia conditionata prævidet fore cum consensu & cum perseverantia in bono conjungenda, vere ipse *donat*, ac primo determinat, ut caussa principalis movens, bona merita, eaque efficit ipse, & facit ea efficere electos, salva tamen libertate (Tract. de DEO §. 83. not. 1.): eodemque ipso pacto non solum *præparat bona opera*, sed *facit, ut in præceptis suis ambulemus; aufert cor lapideum, & dat carneum* (290.) &c.: denique ipse *discernit* electos prior; nec est aliquis, qui meritum *habeat, quod non* a Deo, ceu illius caussa principali *acceperit*, aut qui de eo *gloriari possit, quasi non acceperit.* Neque enim dici potest, primariam caussam, cur bonum meritum aliquod absolute & actu existat, esse ipsum hominem: sed hoc in ista hypothesi evidenter soli DEO ut enti primo libero convenit; qui primus & independenter ab homine libertatem suam exerit decernendo & eligendo illud dare Gratiæ auxilium, quod in actu secundo efficax futurum præscit; & homini, ceu enti

enti secundo libero, & facultatem liberam hanc in individuo concedit, eandemque impellit, ut se moveat (de DEO §. 79.). Sed *nec menti S. Augustini* ulla in parte ejusmodi conceptus Gratiæ efficacis *adversatur*. Namque hic S. Doctor cum vel maxime divinæ Gratiæ *efficaciam infallibilem* grandibus verbis exaggerat, non ab intrinseca virtute illustrationum & inspirationum eam usquam repetit, sed a DEI voluntate, cui, siquid actu efficaciter velit, resisti a nemine possit; unde semper addit, *cum vult, quod vult, facit &c.* Sic in Enchirid. cap. 98. dicit: *Quis tam impie desipiat, ut dicat, DEUM malas hominum voluntates,* QUAS VOLUERIT, QUANDO VOLUERIT, UBI VOLUERIT, *non posse convertere?* Et Lib. de corrept. c. 14. VOLENTI *salvum facere nullum hominum resistit arbitrium: sic enim velle, vel nolle, in volentis aut nolentis est potestate; ut divinam* VOLUNTATEM (utique efficacem) *non impediat, nec separet potestatem. Etiam de his qui faciunt, quod non vult, facit ipse, quod vult, sine dubio habens humanorum cordium,* QUO PLACUERIT, *inclinandorum omnipotentissimam* VOLUNTATEM. Sic nempe, ut etiam in Esth. XIII. 9. additur hæc conditio: SI DECREVERIS *salvare Israel, Domine DEUS Rex omnipotens, non est, qui possit tuæ resistere* VOLUNTATI. Nimirum cum præscientia infinita DEUS prævideat non solum omnia possibilia & conditionate futura, sed & modum omnem, quo possibilia & conditionate futura sunt; siquid porro efficaciter positive velit, nunquam aliud vel aliter vult, nisi quod & quomodo possibile & conditionate futurum præscit. Ergo fieri non potest, ut non omnis DEI voluntas sic intrinsece efficax sortiatur effectum, & quidem talem præcise effectum, etiam creaturæ liberrimum, qualem ipsa præcise vult. *Denique* hæc una sententia & *Gratiam intrinsece effi-*

efficacem salvat, quam omnes ceteræ scholæ exegerunt, & *omnem necessitatem antecedentem evidenter removet*, quam ceteris omnibus scholis Gratiam intrinsece efficacem asserentibus Molinistæ objecere; *evidenter nihil cum Pelagianis commune habet; simulque sola satis ab erroribus libertati infestis recedit.*

* Sed quid denique de axiomate illo, ab ipso S. Augustino in cap. V. Epist. ad Galat. asserto sentiendum: *Quod amplius nos delectat, secundum id operemur necesse est?* *Respond.* Axioma hoc, si de amore primitivo complacentiæ deliberato, efficaci, & libere concepto intelligatur, evidens est; nec differt ab illo principio a me in Eth. univ. christ. §. 67. VII. demonstrato: *Amor complacentiæ* (satis efficax) *de fine aliquo ultimo prævisio est volitio primitiva, imperans omnes alias volitiones circa finem eundem & ejus media qua talia versantes*, ita quidem, ut istæ volitiones ab eo imperatæ non amplius sint immediate, sed solum mediate liberæ, nimirum in sua caussa (ibid. §. 285. not.) ac proinde hypothetice necessariæ, posito semel illo amore primitivo imperante. *S. Augustinus*, cum axioma hoc enuntiaret, sine dubio sensu communi naturæ confusam saltem hujus evidentis principii notionem præ oculis habebat. Et vero, *quod de delectatione deliberata agat, inprimis probat contextus.* Nam occasione accepta ex fructibus, quos in animabus justis producit Spiritus sanctus, & quos recenset Apostolus ad Galat. V.: *Fructus autem spiritus est caritas, gaudium, pax &c.*, asserit S. Doctor, has virtutes in iis reperiri, in quibus non reperitur peccatum, in iisque regnare, si hæ virtutes eos tantum delectent, quantum necesse est, ne

ne in tentationem cadant, & peccato consentiant. *Regnant ergo*, inquit, *spiritales isti fructus in homine, in quo peccata non regnant. Regnant autem ista bona, si tantum delectant, ut ipsa teneant animam in tentationibus, ne in peccati consensionem ruat. Nam*, ut addit, *quod amplius nos delectat &c.* Quis non videt, hic de amore virtutis prædominante agi, qui opponitur peccato regnanti; id est, affectui peccaminoso prædominanti, qui utique non est nisi deliberatus. Unde ut probet axioma suum, S. Doctor adducit pro exemplo hominem, qui ad feminæ speciosæ aspectum movetur ad turpia; qui tamen ab obscœnis abstinet, & caste vivit; *si plus delectat pulcritudo illa intima & sincera species castitatis, per Gratiam, quæ est in fide Christi. Secundum hanc vivimus, & secundum hanc operamur, ut non regnante in nobis peccato ad obediendum desideriis ejus, sed regnante justitia per caritatem, cum magna delectatione faciamus, quidquid in ea DEO placere cognoscimus.* Profecto de amore deliberato, qui ad virtutem exercitiumque castitatis pertinet, hic Augustino sermo est, & *regnans peccatum* æque ac *regnans justitia* actus deliberatos designant, cum per actus indeliberatos nec peccatum, nec justitia in nobis regnet. Denique scripsit Commentarium istum Augustinus, fatente ipso Jansenio, tunc cum adhuc Semipelagianorum errore involveretur, & quocum sensus axiomatis a Jansenio confictus plane componi non potest. Potius ipse S. Doctor de indeliberatis motibus Gratiæ, quos ipse ante conversionem senserit, Lib. VIII. Confess. cap. 8. ait: *Non faciebam, quod & incomparabili affectu magis placebat, & mox, ut vellem, possem.*

CAPUT

CAPUT IV.

DE GRATIA SANCTIFICANTE HABITUALI, ET STATU JUSTITIÆ.

305.

Justitiam universalem in Eth. univ. christ. §. 713. dixi esse rectum ordinem completum omnium virtutum saltem quoad substantialem earum perfectionem (ibid. §. 384.): qui *rectus ordo* consistat in stabili prædominio efficaci, aliarum præ aliis, pro eo atque Sapientiæ consilium dictat fini ultimo aptius convenire (ibid. §. 709.); item quod is *in statu præsente præter supernaturalem fidem, sapientiam & prudentiam, inprimis caritatis DEI, saltem conjunctim cum amore concupiscentiæ imperantis, generale prædominium importet* (ibid. 714.).

306.

Jam vero constat ex ostensis in hoc Tractatu, ad omnes actus salutares fidei, spei, ac caritatis, homini opus esse DEI actuali Gratia interna excitante & adjuvante (264. 265.). Ergo ut recte ordinatum prædominium stabile & efficax fidei, amoris concupiscentiæ seu spei, & caritatis locum habeat; opus est perpetua affluentia auxiliorum actualium ejusmodi internorum Gratiæ excitantis & adjuvantis; ac proinde hoc ipso *ad habitualem facultatem justitiæ universalis obtinendam & conservandam opus esse homini cuique, ut DEUS stabili decreto benevolo & efficace continuo applica-*

tam

tam eidem habeat omnipotentiam suam ad largienda illi pro quovis casu necessitatis eliciendi recto ordine actus virtutum fidei, spei, & caritatis, & ex istarum imperio quarumvis aliarum virtutum actus, necessaria Gratiæ actualis excitantis & adjuvantis auxilia.

307.

Decretum hoc DEI benevolum & efficax stabilis applicationis omnipotentiæ suæ ad largienda homini omnia sufficientia auxilia Gratiæ excitantis & adjuvantis secundum capacitatem ipsius præsentem, & pro omni casu necessitatis eorum ad eliciendos recto ordine actus omnes omnium virtutum, ad justitiam universalem habendam & conservandam requisitos, & denique perducendi eundem ad ipsam æternam beatitatem, si citra grave peccatum in ea justitia perseveraverit, illud est, quod *Gratiam DEI sanctificantem*, seu *justificantem*, ac *habitualem*, vocamus (243. 246.).

* Omnis *Gratia* benevolam voluntatem in auctore Gratiæ importare debet (243.). Quidni ergo habitualis Gratia justificans efficax divinæ voluntatis decretum cum omnipotentiæ applicatione importet efficiendi & conservandi justitiam universalem in homine per actualia Gratiæ auxilia ad hoc necessaria?

308.

Gratia sanctificans habituales facultates stabiles omnium virtutum recto ordine exercendarum, id est, exercendæ & conservandæ totius justitiæ universalis impor-

importat, non quidem semper proxime completas, sed remotas. Complectitur enim decretum DEI benevolum stabiliter applicans DEI omnipotentiam ad largienda auxilia ad omnium virtutum actus saltem præceptos recto ordine eliciendos necessaria (285.). Atqui sic in promtu homini justificato necessariæ sunt facultates stabiles omnium virtutum recto ordine exercendarum, in quo universalis justitia consistit (305.), non quidem stabiliter proxime completæ, sed remotæ; quia ad illas actualium etiam Gratiarum actualis præsentia, ceu Gratiæ sanctificantis transitorii effectus, requiruntur. Ergo &c.

* Theologi antiqui sententia mere scholastica (sic ipse Melchior Canus de Loc. theol. Lib. VII. cap. 2. appellat) Gratiam sanctificantem in *qualitate* quadam animo impressa, ex qua qualitates aliæ, id est, virtutes omnes theologicæ & morales, consequantur, reponebant; quin dicere possent, ad quodnam *qualitatis* genus istæ qualitates omnes pertineant. Inde illa scholæ phrasis, qua Gratia sanctificans, & cum ea habitus seu facultates remotæ omnium virtutum, nobis *infundi* in Baptismo dicebantur: quo modo loquendi deinde ipsum Concilium Generale Viennense in Clementina I. usum est, docens: *probabiliorem sententiam esse, quod parvulis etiam Gratia informans in Baptismo infundatur pro illo tempore quoad habitum, non quoad usum, idque ob generalem efficaciam mortis Christi, quæ per Baptismum generaliter omnibus applicetur.* Alii econtra tunc docebant, quod parvulis per Baptismum quidem originalis culpa remittatur, sed non infundatur Gratia: eo quod nempe qualitatis infusæ cujuscunque, quæ facultatem operandæ justitiæ importet, parvulos haud ca-

paces esse existimarent. At enim Gratiæ sanctificantis a nobis descriptæ capaces ex æquo parvuli sunt: etsi vox *infusæ* Gratiæ philosophiæ antiquæ obscuritatem spiret; & e scholis in usus idiomatis Ecclesiastici translata fuerit. Baptismo enim vix eis collato, seu conditione certa impleta, DEUS meritorum Christi intuitu absolutam illam benevolentiam per se efficacem erga eos concipit, cujus decreto jam nunc applicata est DEI omnipotentia ad facultates omnes justitiæ universalis proprias secundum illorum præsentem capacitatem eis communicandas; etsi *uti* eisdem ante rationis usum adeptum non possint; item ad ipsam beatitatem illorum efficiendam, si in hoc statu perseverarint. Quo sensu rectissime Patres Concilii Viennensis dixere, tales parvulos habere Gratiam *quoad habitum, non quoad usum*; quatenus nempe uti ejus facultatibus ad exercitium justitiæ universalis nondum possunt.

309.

Justificatio hominis est transitus a defectu facultatis habitualis (id est, stabilis) exercendæ universalis justitiæ ad habitum ejusdem facultatis, seu effectum Gratiæ sanctificantis formalem (308.). *Potest vero quis deficere ab aliqua facultate habituali vel negative solum*, ita, ut ei solum negatio talis facultatis per accidens insit; *vel positive*, ita, ut impedimento aliquo positivo talis facultas ab eo tanquam subjecto excludatur. Unde I. *Parvuli in Baptismo justificantur transitu a negatione facultatis prædictæ, quæ negatio ipsis antea vi originalis peccati inerat* (Tract. III. §. 227.), *ad habitum ejus vi Gratiæ sanctificantis* (præced.). II. *Homines vero adulti, peccatis antea etiam actualibus infecti, non justi-*

justificantur nisi transitu a statu contrario ad habitum ejusdem facultatis per Gratiam sanctificantem acceptam. Peccata enim actualia, habitu permanentia, contraria sunt facultati exercendæ justitiæ universalis, eamque impediunt ratione alicujus pravi affectus prædominantis amori divino (Eth. christ. univ. §. 683. IX.): cum facultas exercendæ universalis justitiæ facultatem expeditam exercendi amoris DEI prædominantis omni vitioso amori in formali suo conceptu importet (305.).

310.

Justificatio hominis peccatoris adulti fieri non potest sine conversione cordis, id est, non sine mutatione interna, nec per DEI favorem mere extrinsecum. Dogma hoc fidei *probatur* 1.) EX SS. LITERIS. Psaltes enim Psalm. L. ait: *Dele iniquitatem meam: amplius lava me ab iniquitate mea, & a peccato meo munda me: lavabis me, & super nivem dealbabor.* Ezech. XXXIII. 11. dicit Dominus: *Nolo mortem impii, sed ut convertatur a via sua, & vivat. Convertimini a viis vestris pessimis.* I. Joan. I. 7. dicitur: *Sanguis JESU Christi emundat nos ab omni peccato.* Quibus sane in locis conversio & expurgatio quædam cordis seu malæ voluntatis requiritur, ac peccata sordibus comparantur, a quibus animus mundari virtute meritorum Christi debet, ut vita spirituali vivere, id est, justificari queat.

Probatur 2.) EX CONCILIO TRIDENTINO, quod Sess. VI. Can. 21. definit: *Siquis dixerit, homines justificari vel sola imputatione justitiæ Christi, vel sola remissione peccatorum, exclusa gratia & caritate, quæ in cordibus eorum per Spiritum sanctum dif-*

 fun-

fundatur, atque illis inhæreat, aut etiam Gratiam, qua justificamur, esse tantum favorem DEI, anathema sit. Et Can. 5. Seff. V. idem anathema dicit afferenti, *quod per Gratiam Christi non tollatur totum id, quod veram & propriam rationem peccati habet; sed illud tantum radi, aut non imputari.*

Probatur 3.) EX SS. PATRIBUS. *S. Augustinus* L. I. ad Bonif. c. 12. *dicimus*, ait, *Baptisma dare omnium indulgentiam peccatorum, & auferre crimina, non radere. S. Gregorius M.* L. IX. Ep. 39. *Siqui sunt, qui dicant, peccata Baptismate superficie tenus dimitti, quid ista prædicatione infidelius? Si enim peccata in Baptismate funditus minime delentur; quomodo is, qui lotus est, mundus est totus? Totus enim mundus dici non potest, cui de peccato aliquid remansit.* Plures Patrum textus vide apud Bellarm. L. II. de Justific. cap. 8.

Probatur 4.) RATIONE manifesta. In adulto enim homine peccatore justificatio est transitus a statu contrario peccati habitualis ad habitum facultatis & idoneitatis positivæ ad exercendam totam justitiam universalem (præced. II.), quæ præcipue consistit in prædominio quodam fidei, spei, & caritatis, sufficiente ad imperandas in casu legis alicujus graviter obligantis omnes alias virtutes: qui transitus fieri non potest; nisi habituale peccatum, seu pravus affectus habitualis (Eth. univ. christ. 419.), per pœnitentiam, ab amore DEI substantialiter perfecto, ac proin prædominante pristino pravo affectui, imperatam, destruatur (ibid. §§. 384. 717. 268.). In eo transitu itaque ope talis actus pœnitentiæ per actuale Gratiæ auxilium eliciti, destrui primum debet habitus vitiosus ex actuali peccato relictus; quo facto simul relinquitur habitus bonus amoris DEI prædo-

prædominantis, eo ipso actu, quo pœnitentia imperata est, acquisitus, simulque DEI dono benevolo ac stabili applicatur omnipotentia divina tali homini ad largiendam facultatem inimpeditam porro eliciendi actus talis amoris divini prædominantis, omnium que aliarum virtutum ad universalis justitiæ substantialem perfectionem pertinentium (285.): id quod utrumque sine mutatione intrinseca fieri haud potest.

311.

Errarunt ergo Calvinus & Lutherus, docentes, justificationem etiam peccatoris adulti fieri solum primo *per non imputationem peccati præteriti ob merita Christi, modo nempe mere civili & forensi, qua scilicet peccata mere tegantur, non sanato pravo interno habitu prædominantis mali affectus*; secundo *per imputationem justitiæ Christi*, quam utramque simul vocabant *favorem DEI mere extrinsecum.*

* Et vero tam illa *non imputatio*, quam ista *imputatio*, falso judicio in DEO ipso constarent: quia *prior* illa non esset nisi judicium, quo homo peccator negaretur esse principium liberum peccati, & infectus adhuc pravo habitu ejusdem; quod falsum est (Eth. univ. christ. 426. 427. 419. Psychol. 342.); *posterior* vero ista esset judicium, quo idem homo peccator affirmaretur esse principium liberum justitiæ Christi; quod itidem falsum est. Quodsi vero per *non imputationem* Sectarii illi præcise condonationem pœnæ mere gratuitam intellexere; rursus falsa eorum doctrina est; quia talis gratuita pœnæ condonatio, facta sine prævia pœnitentia & conversione cordis, DEUM plane dedeceret; quod item ostendi in Eth. univ. christ. §. 256.

* * *Objiciebant* illi dicta Psalm. XXXI. 1. *Beati, quorum tecta sunt peccata . . . Beatus vir, cui non imputavit Dominus peccatum. At enim* quo pacto tegi poterit DEO omnia videnti, quod adhuc extat, peccatum, nec pœnitentia deletum est: *Tegitur* ergo, dum ob pœnitentiam, qua ejus existentia, ceu affectu contrario prædominante, destruitur, DEUS cessat moveri ab eodem ad vindictam. *Non imputatur* peccatum, quod retractatione seria, efficaci, & libera; jam est emendatum ita, ut per merita Christi DEUS benevolentiæ suæ gratiam denuo restituere potuerit. Unde verbis Psalmi posterioribus mox additur, *& non est in spiritu ejus dolus.* Atqui quo pacto dolus non esset in eo, qui veniam a DEO speraret ac sibi promitteret, & tamen in animo voluntatem habitualem offensæ divinæ conservaret? Unde optime *Tridentinum* docet Sess. VI. cap. 7., *non solum in remissione peccatorum, sed etiam in sanctificatione & renovatione interioris hominis* justificationem consistere, eamque *fieri per voluntariam susceptionem Gratiæ & donorum DEI;* qua nimirum voluntas, per pœnitentiam destruendo peccatum, capacem se reddit ad ea recipienda. Ceterum ex toto proposito Tridentini, refutantis sectarios suæ ætatis, patet, illud agere de sola justificatione adultorum, qui a statu contrario peccati libere admissi transeunt ad statum justitiæ: de parvulis vero Baptismo sanctificari solitis videtur acquievisse doctrinæ Concilii Viennensis, de qua dixi §. 308. not. 8.

312.

312.

Duplex itaque velut status facultatis justitiæ universalis exercendæ in homine adulto, qui de statu peccati libere admissi transiit ad statum justitiæ, distingui potest, unus, qui merum est DEI donum, ex solius Christi meritis, sine ullo concursu liberi ejus arbitrii a DEO liberaliter post prævium pœnitentiam debitam collatum, isque consistit in sola Gratia sanctificante, seu intima applicatione omnipotentiæ divinæ, benevolo & efficaci decreto facta; per quam formaliter conferuntur omnes facultates habituales omnium virtutum secundum rectum ordinem justitiæ universalis exercendarum (308.); quarum effectus immediati pro exigente occasione, & in omni casu legis alicujus obligantis, sunt Gratiæ actuales sufficientes cuilibet homini justo semper conferri solitæ vi Gratiæ sanctificantis (285.): *alter in amore DEI seu caritate prædominante habituali, una cum fide & spe habituali, consistit; cujus nempe actus, fidei & spei supernaturali innixus, & a libero arbitrio creato ope supernaturalis Gratiæ actualis elicitus*, in ipsa justificatione pœnitentiam imperabat; deinde vero *transibat in habitum, conficiens* eam *caritatem*, quam Tridentinum (cit. §. 310. n. 2.) Sess. VI. Can. 11. docet, in ipsa justificatione *per Gratiam Spiritus sancti diffundi in cordibus eorum*, qui justificantur.

* ***Ne putes***, **Gratiam sanctificantem non sine concursu, saltem positivo, liberi arbitrii a DEO mere liberaliter conferri in justificatione peccatoris; eo quod ad eam conversio per pœnitentiam, a prædominante aliquo DEI amore imperatam requiratur. Is enim concursus liberi arbitrii & ipse donum DEI est (290), & solum va-**

 let

let ad impedimentum ejus gratiæ removendum; per se autem nullam veri meriti, sed solum conditionis sine qua non, rationem habet relate ad Gratiæ sanctificantis donum.

* * Ceterum in Tractatione de SS. Trinitate ostendetur dogma de præsentia vera Spiritus sancti in animo hominis justi; & hoc dogmate interim supposito intelligitur integer istius status plene expressus per illa verba Apostoli II. Cor. XIII. 13. *Gratia Domini nostri JESU Christi; & caritas DEI, & communicatio Spiritus sancti, sit cum omnibus vobis.* Tridentinum quoque Sess. VI. cap. 7. porro adjuncta istius status declarat convenienter his, quæ modo hoc §o dixi: *In ipsa justificatione & remissione peccatorum hæc omnia simul infusa accipit homo ... fidem, spem, & caritatem:* item, *unicam caussam formalem nostræ justificationis esse justitiam DEI, non qua ipse justus est, sed qua nos justos facit; qua videlicet ab eo donati renovamur spiritu mentis nostræ, & non modo reputamur, sed vere justi nominamur, & sumus, justitiam in nobis recipientes unusquisque suam.* Addit denique in eodem capite: *adultos justificatos juberi justitiam acceptam ceu primam stolam conservare, & ante tribunal Christi perferre.*

* * * Denique illud me etiam non monente advertes, in adultis, qui in tenella ætate Baptismo accepto jam sanctificati sunt, alteram illam partem justitiæ, quam in acquisitis habitibus fidei, spei, & caritatis consistere dixi, acquirere debere, mox ubi ad rationis usum perducti obligari incipiunt lege naturali ad illarum virtutum actus (Eth. univ. christ. 386. 388. 389.): secus hoc ipso justitia prius per Baptismum accepta spoliandos esse.

313.

313.

Datur Gratia sanctificans, & justificatio hominum fit per illius collationem a DEO factam. Dogma hoc fidei *ostenditur* 1.) EX SS. SCRIPTURIS. Nam I. Cor. VI. 11. Apostolus, enumeratis variis peccatis, quorum reos dixerat, *regnum DEI non possessuros*, subdit: *Et hæc quidam fuistis: sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed justificati estis, in nomine Domini JESU Christi, & in spiritu DEI nostri.* Ad Ephes. IV. 23. Apostolus idem hortatur Ephesios, ut, si vere Christum novisse videri velint, *induerent novum hominem, qui secundum DEUM creatus sit in justitia & sanctitate veritatis, ac veteri deposito homine renoventur spiritu mentis suæ.* Ad Coloss. III. 5. & 9. ait: *Mortificate ergo membra vestra, fornicationem &c. deponite: . . . expoliantes vos veterem hominem cum actibus suis, & induentes novum, eum, qui renovatur in agnitionem secundum imaginem ejus, qui creavit illum . . . . Induite ergo vos sicut* ELECTI DEI, SANCTI, ET DILECTI. S. Petrus quoque in II. Epist. I. 2. statum Gratiæ sanctificantis receptione in fidelibus christianis exortum sic describit: *Iis, qui æqualem nobiscum sortiti sunt fidem* IN JUSTITIA DEI *& Salvatoris nostri JESU Christi, Gratia & pax adimpleatur in cognitione DEI & Christi JESU: quomodo omnia nobis divinæ virtutis, quæ ad vitam & pietatem* (subintellige, *pertinent*), *donata sunt per cognitionem ejus, qui vocavit nos propria gloria & virtute: per quem maxima & pretiosa promissa donavit; ut per hæc efficiamini divinæ consortes naturæ.* Jam autem verba illa omnia, *novus homo secundum DEUM creatus in justitia & vera sanctitate, spiritu mentis renovatus secundum imaginem DEI Creatoris, electus DEI, sanctus, & dilectus;*

cui omnes divinæ virtutes donatæ sunt, quæ ad vitam spiritus & pietatem pertinent; *cui maxima & pretiosa promissa donata sunt, ut per hæc efficiatur divinæ consors naturæ;* item *qui* secundum I. Joan. III. 9. *natus est ex DEO, & semen DEI* in se *manens* habet; cui denique *caritas DEI diffusa in corde est per Spiritum sanctum, qui datus est illi;* is, inquam, profecto est, qui habet omnia, quæ in conceptu hominis justificati & in notione Gratiæ sanctificantis supra §§. 307. 308. 309. complexi sumus; ut reflectenti ultro patebit. *Patet* 2.) EX TRIDENTINO, cujus textus jam citati sunt §. 310. n. 2. §. 311. not. 2. & §. 312. not. 2.

314.

I. *Gratia sanctificans generatim sumta formaliter consistit in efficaci ac benevola, stabilique applicatione omnipotentiæ divinæ ad conferendas homini per eam justificato omnes Gratias actuales sufficientes ac necessarias ad exercendam universalem justitiam, & ad conservandam eo ipso in adultis jam semel acquisitam fidem, spem, & caritatem prædominantem* (312.), *ac denique ad conferendam ipsam gloriam beatitatis perseverantibus ad finem usque in justitia accepta.* Per eam enim sic conceptam jam habentur omnes notæ Gratiæ sanctificantis, quas vel Scripturæ, vel Concilium Tridentinum, locis inde a §. 310. citatis exprimunt, & ipse illius conceptus §§. 306. & 307. præformatus complectitur. Certe hæc Gratia sic concepta singulis hominibus justis propria inhæret, ceu intime præsens & applicata, facultates habituales omnium virtutum præbet (308.) &c.

* Mul-

* Multi Theologi scholastica solum opinione tenuere, Gratiam sanctificantem in aliqua creata qualitate, vel saltem modificatione mentis, constitui debere. Sed non invenio hujus sententiæ solidum fundamentum seu in SS. Literis, seu in SS. Patribus, seu in Concilio Tridentino, quod solum accuratius quæstionem istam tractavit. Certe voces illæ ex scholis arreptæ Gratia *inhærens, infusa &c.* rem non evincunt: non enim nisi aliquid intime justis singulis præsens (seu creatum, seu increatum) & accidentale enuntiant. Atqui & accidentalis, & intime præsens cuique justo est applicatio illa omnipotentiæ DEI. Imo *S. Cyrillus Alexandr.* cap. 7. Dial. ad Hermiam ait: *Videtur superfluum per medium aliquod creaturas sanctificari. Nam ipse DEUS pro misericordia sua ad minima pervenit, & sanctificat per proprium spiritum suum. Non enim per creaturam participari potest divinum esse, quod creaturam superat. S. Bonaventura* vero in II. Dist. XXVI. quæst. 2. ait: *Omnes recte intelligentes concedunt, in justis esse Gratiæ donum, ita, ut credant in eis esse Gratiæ donum increatum, quod est Spiritus sanctus; & hoc a fide & Scriptura determinatur, ita, ut contrarium esset hæreticum. Sed utrum præter donum increatum sit in nobis donum creatum, per quod simus DEO accepti, vel non; quia non expresse determinatur Scripturæ auctoritate, investigatur a Doctoribus rationum probabilitate.* Et vero numquid Gratiæ sanctificantis, seu facultatis habitualis, *naturales* effectus in justo sunt Gratiæ actuales sufficientes in omni casu obligantis præcepti? Num vero illæ qualitatis creatæ, an immediate omnipotentiæ divinæ jam intime semper applicatæ effectus tantum esse possunt?

315.

II. ***Per Gratiam sanctificantem vere efficimur divinæ consortes naturæ: item veri filii DEI adoptivi.*** Natura enim divina infinitam rectitudinem moralem & physicam in omni sua agendi facultate importat. Atqui per Gratiam sanctificantem etiam nos facultatem, non quidem infinite perfectam, expeditam tamen recte moraliter agendi secundum universam amplitudinem totius justitiæ & omnium virtutum rectum ordinem accipimus (308.); ac proinde non quidem eandem communem cum DEO naturam habemus; sed tamen de ista participando ejus consortes efficimur; uti S. Petrus II. Epist. I. 4. graphice dicit: *DEUS maxima & pretiosa nobis promissa donavit, ut per hæc efficiamini divinæ consortes naturæ*: quod *primum.* Porro cum eadem Gratia sanctificans consistat in applicatione omnipotentiæ DEI actuali non solum ad Gratias actuales omnes sufficientes & necessarias ad finem ultimum vitæ beatæ consequendum nobis conferendas, sed etiam, si justi perseveraturi sint in fide erga DEUM, bene semper utendo istis Gratiis, ad ipsam vitæ beatæ gloriam conferendam, qua ipsemet beatus est: profecto eadem pignus est paternæ DEI erga nos benevolentiæ, qua nos vere hæredes bonorum suorum sub eadem conditione declarat, id est, in filiorum jura admittit. Est autem *filius adoptivus* persona extranea, id est, ab alio generata, quæ tamen in filiorum naturalium fortunam & vicem quoad necessariæ hæreditatis jura admittitur. Ergo vi Gratiæ sanctificantis efficimur filii DEI adoptivi. Unde S. Joannes Evangelista in I. Epist. III. 1. simpliciter scribit: *Videte, qualem caritatem dedit nobis Pater, ut filii DEI nominemur, & simus ... Carissimi! nunc filii DEI sumus.*

sumus. Et S. Paulus ad Rom. VIII. 15. *Accepistis spiritum adoptionis filiorum; in quo clamamus: Abba, Pater;* quod *alterum.*

316.

III. *Gratia sanctificans non differt ab habitu, quem dicunt mere infusum caritatis, etsi in justis adultis, ceu attributum physicum & naturale, simul conjunctam habeat caritatem habitualem acquisitam seu in justificatione ex statu prævio peccati actualis commissi, seu ex actibus caritatis seu amoris DEI a lege naturali præceptis.* Habitum enim illum, id est, facultatem increatam (314.), applicata per Gratiam sanctificantem formaliter DEI omnipotentia dat (308.), & nisi hæc illam det, quacunque alia sua applicatione nec justificat (309. 305. 306.), nec ad vitam beatam dandam sub tali statu applicata est; cum Apostolus absolute dicat I. Cor. XIII. 2. *Si habuero omnem fidem, caritatem autem non habuero, nihil sum:* quo loco sive *infusam*, sive *acquisitam* habitualem *caritatem* intelligat Apostolus, ex æquo hoc ejus dictum probat, sine caritate infusa neminem vitam beatam consequi: quia acquisita nunquam sine infusa est; qua vel natura prior est, ut in peccatoris adulti justificatione; vel natura posterior ceu illius naturalis effectus, ut in parvulo baptizato, postquam innocens adolevit, & ex obligatione legis actum caritatis exercuit. Atqui ratio formalis Gratiæ sanctificantis in eo consistit, quo concepto, concipitur; & quo non concepto, non concipitur.

317.

Gratia sanctificans componi cum gravi peccato non potest vi ipsius naturæ suæ. Id quidem docet 1.) S. SCRIPTURA I. Joan. III. 9. *Omnis, qui natus est ex DEO, peccatum non facit; quia semen ipsius in eo manet, & non potest peccare.* Quo loco sensus esse non potest, quod, qui Gratiam istam habet, libertate peccandi careat; sed solum, quod componere peccatum cum illa Gratia non possit, sed eam hoc ipso amittat. Et vero S. Paulus II. Cor. VI. 14. absolute dicit: *Quæ comparatio justitiæ cum iniquitate, aut quæ societas lucis ad tenebras.* Idem 2.) RATIONE probatur, auctoritate Tridentini fulcita. Tridentinum enim Sess. V. cap. 7. dicit, justificationem nostram *formaliter fieri per justitiam DEI, qua nos* justos facit, & cum *remissione peccatorum* conjungi (312. not.). Atqui remitti peccata mera condonatione, & sine pœnitentia destruente peccatum non possunt. Ergo Gratia sanctificans, quæ est ratio formalis justificans cum peccato non remisso componi non potest. *Item:* Gratia est formalis facultas inimpedita caritatis: atqui peccatum, ceu pravus affectus prædominans, est impedimentum contrarium caritatis exercitio. *Denique* Gratia hæc est applicatio omnipotentiæ non solum ad justificandum, sed & glorificandum hominem in præsente statu perseverantem. Atqui homini in statu peccati gravis hæc applicatio fieri a DEO non potest, qui vi justitiæ necessitatur talem addicere pœnæ æternæ, ni resipuerit. Ergo &c.

* Qui

* Qui aliter ſenſere, ex natura *qualitatis creatæ* id inferebant, in qua Gratiam ſanctificantem reponebant.

* * De diſpoſitionibus ad juſtificationem requiſitis ac ceteris ejusdem cauſſis agam in Tractatu de Sacramentis, nominatim de Pœnitentiæ Sacramento.

O. A. M. D. G.

Digitized by Google